

# Forgotten Books

— [www.forgottenbooks.com](http://www.forgottenbooks.com) —

Copyright © 2016 FB &c Ltd.

All rights reserved. No part of this publication may be reproduced, distributed, or transmitted in any form or by any means, including photocopying, recording, or other electronic or mechanical methods, without the prior written permission of the publisher, except in the case of brief quotations embodied in critical reviews and certain other noncommercial uses permitted by copyright law.

Polybium

7298

17784

Π Ο Λ Τ Β Ι Ο Τ

ΜΕΓΑΛΟΠΟΛΙΤΟΤ

Ι Σ Τ Ο Ρ Ι Ω Ν

Τ Α Σ Ω Ζ Ο Μ Ε Ν Α.

P O L Y B I I

MEGALOPOLITANI

H I S T O R I A R V M

QVIDQVID SUPEREST.

---

RECENSUIT, DIGESSIT,

EMENDATIORE INTERPRETATIONE, VARIE-  
TATE LECTONIS, ADNOTATIONIBVS, INDI-  
CIBVS ILLUSTRAVIT

IOHANNES SCHWEIGHÆVSER

ARGENTORATENSIS.

---

TOMVS PRIMVS.

LIBER I. II. ET III.

---

LIPSIÆ

IN LIBRARIÀ WEIDMANNIA

MDCCLXXIX.



res ex infelicibus illis cladibus, quæ a decimo fere post Christum natum seculo Græcas oppressere literas, salvos atque integros evasisse. *Quinque illi priores Historiarum Polybii Libri*, postquam medio seculo decimo quinto a *Nicolao Perotto*, Episcopo Sipontino, latini magis elegantia styli claro, quam græcarum literarum peritia, in Latinum sermonem essent conversi, <sup>b)</sup> Græce primum opera VINCENTII OBSOPOEI Onolsbacensis in lucem editi sunt *Hagenoæ typis Secerianis anno MDXXX*, adjecta in fine Perotti latina versione.

## 2.

*Ceterorum Librorum*, qui integrum olim compleverant opus, nonnisi abscissas ac multis modis mutilas truncatasque, sed ne sic quidem spernendas utique, habemus *Reliquias*: quæ, quo illustriora vestigia continent rerum & ad cognoscendum jucundissimum, & ad instruendum omnis vitæ usum, privati atque publice, bello paceque, saluberrimarum, tanto acius adferunt legentibus molestiusque eorum quæ interciderunt desiderium. Scilicet, præter satis amplum numerum *singulorum Fragmentorum*, quæ apud varios veteres Scriptores, Dionysium Halicarnassem, Strabonem, Iosephum, Heronem illum juniorem, cujus exstat de repellenda Obsidione libellus, Athenæum, aliosque, tum apud Grammaticos, Stephanum Byzantinum & Suidam præsertim, velut e naufragio conservatæ tabulæ reperiuntur; supersunt etiam variæ *collectiones Eclogarum*, plerarumque latius patentium, quæ ex opere olim integro, secundum librorum seriem, excerptæ sunt atque digestæ. Diodorum Siculum taceo, Liviumque: quorum ille multa e Polybio pæne ad verbum, dissimulato tamen (quoad quidem hodie ex ejusdem Diodori reliquiis apparet) auctoris nomine, suæ Bibliothecæ inseruit; hic integros etiam libros, tantum non presso ubivis pede, latinum in sermonem convertit.

3. *Eclo-*

b) Confer infra, Sect. IV, n. 9.

3.

*Eclogarum*, quas dixi, vel *Excerptorum*, quæ vulgo vocant, unum genus, incertum quo compilatore quove tempore confectum,<sup>c)</sup> cum majore parte *Libri sexti* insignes *sequentium duodecim Librorum* particulas (*Epitomas* adpellavit *Compiler*) complectitur. Qua de compilatione sicut nimis magnifice Is. Casaubonus sensit, quum ipsam illam *Epitomen*, quam a *M. Bruto ex Polybio* factam *Plutarchus* commemorat, hanc esse existimavit; atque, sive *Brutus* fuerit, sive alius, qui eam confecerit, magno iudicio usum esse censuit in iis seligendis quæ *Politico informando* essent accommodatissima:<sup>d)</sup> sic bili paulo magis, quam par erat, indulgisse videri potest *Reiskius*, vir optimus ceteroquin auctissimusque, in *Præfationa* ad sua *Polybiana*;<sup>e)</sup> ubi, *Cum locos communes*, ait, *vel pastoribus obvios*, ipso in opere *Polybii* integro lego, magna orationis ambitione venditatos, fero & condono reliquorum præstantiæ. Sed iudicio, vel tarditati potius carnificis, quisquis ille fuit, qui *Polybium* membratim contruncavit, succenseo; qui satius duxerit, tot triviales locos e *Polybio* enotare, quam insignium rerum gestarum memorias posteritati transmittere. Numeremus in ceteris *Polybii* infortunatis hanc hominis male feriati stultitiam, cui caput illius adversa sors objecit. Ista *Excerpta*, quæ nos, ut ab aliis post hæc de mum repertis & in lucem protractis distingueremus, *Antiqua* cognominavimus, typis primum evulgata librisque quinque prioribus adjecta sunt per *Joannem HERVAGIVM*, *Basileæ* MDXLIX, hoc titulo: Πολυβίου Μεγαλοπολίτου Ἱστοριῶν βιβλία Ε' καὶ Ἐπιτομαὶ ΙΒ'. *Polybii Megalopolitani Historiarum Libri priores quinque*, *Nicolao Perotto Episcopo Sipontino interprete*. Item *Epitome sequentium Librorum usque ad Decimumseptimum*, *Wolfgango*

a 4

gango

c) Conf. infra, Sect. IV. n. 6.

Gron. p. 49 & 51. (edit. Ern. p. 646 & 648.)

d) Is. Casaubonus in Dedic. ad enr. IV. Regem, Tomo III. edit.

e) Volumine Vto Animadversorum in Græcos Auctores p. 765.

sub finem vergente Seculo XVI repertus, curante FVLVIO VRSINO Romano primum editus est Græce ex officina Plantini *Antwerpiae* M. D. LXXXII. Quumque major pars istorum Excerptorum ex Polybii Historiis sint ducta, adjecta sunt etiam alia *Polybii Fragmenta* ex variis Auctoribus ab Vrsino collecta, tum *Vrsini Notæ in Eclogas*, ejusdemque *Emendationes ad Polybium ab Hervagio editum*.

## 6.

Eisdem deinde Eclogis de legationibus IS. CASAVBONVS præstantissimam suam *Polybii Editionem* auxit, qua quidquid Historiarum hujus Scriptoris ad id ætatis reperiri potuerat, in unum corpus collectum, et partim *ex antiquis libris* partim ex ingenio emendatum, *novaque Versione Latina & Synopsi Chronologica* illustratum, in lucem emisit *Parisiis apud Hier. Drouardum*, MDCIX. Quam Editionem Casaubonianam qui cum Fabricio *Bibl. Græc. T. II. p. 739. eodem anno Hanoviae recusam* perhibent, quod a multis vulgo traditum video, hos lubrico admodum niti fundamento egregieque falli, quum mea nonnihil interesset dispicere quid rei sit, liquido cognovi. Scilicet sunt quidem exempla Editionis Casaubonianæ, ea fere quæ in Germaniam transierunt, (cujusmodi est illud ipsum, ad cuius marginem ego lectionis varietatem ex aliis editionibus & ex codicibus manuscriptis adnotavi,) quorum in titulo nec urbis Parisiorum nec Drouardi nomen conspicitur, sed illorum loco hæc leguntur: *Typis Weckelianis apud Claudium Marnium & Hæredes Aubrii* MDCIX. nullo urbis nomine adjecto. Quumque in Parisiensibus exemplis adjiciantur hæc verba, *Cum Privilegio Regis*; in illis est, *Cum gratia & privilegio Sacræ Cæsar. Majest. ad sexennium*, & versa pagina exhibetur ipsum Privilegium *Cl. Marnio & Ioh. Aubrii hæredibus, Civibus & Typographis Francofurtensibus*, (quo magis iniror, quod *Hanoviae* recusum librum volunt) a *Rudolpho II. Imp.* anno 1608 concessum. Ceterum non ovum ovo tam simile, quam hæc

hæc Exempla sunt illis, qui Parisios Drouardumque in fronte gerunt. Non modo pagina paginæ, linæa linæa respondet; typorum forma usquequaque simillima atque eadem, eadem in minimis rebus ac prorsus fortuitis errata, idem erratorum index: quin par etiam in utriusque generis exemplis inter quæque verba intervallum; nec in uno exemplo litera ulla vel apice aliquo truncata vel alio modo paululum deformata occurrit, quin in altero pariter eadem eodem plane habitu recurrat. Denique, verbo ut absolvam: eadem omnino editio, eadem in officina, eisdem formis, eodem tempore excusa. Scilicet Casaubonus olim, Genevæ adhuc degens, de Polybii editione egerat cum Wechelianis hæredibus, qui illam suis sumtibus Francofurti suscipiendam ei sponponderant, moxque eo nomine officia etiam nonnulla ad Polybium spectantia eidem præstiterant.<sup>b)</sup> Postquam vero Lutetiam commigravit doctissimus Editor, ubi Bibliothecarii Regii munere functus est; lætus arripiens oblatam opportunitatem, qua impressioni operis ipse præesse ac singula folia accurate corrigere posset,<sup>i)</sup> negotium suscipiendæ editionis Drouardo detulit; qui, quum frequens cum Francofurtensibus commercium exerceret, nundinasque illius urbis frequentaret,<sup>k)</sup> cum Wechelianis hæredibus Polybii causa societatem ea lege contraxisse videtur, ut quæ exempla Francofurtum mitterentur, ipsorum nomen in titulo præferrent. Amplissimis *Commentariis* illustrare Polybium constituerat *Casaubonus*; in quibus, præter alia plurima ad illustrandum Auctorem plus minusve faciëntia, rationem etiam redditurus erat Emendationum, quas sive ex scriptis libris sive ex ingenio deproptas textui intulit: sed tum nimis multa atque ampla meditatur, in longum primo dilata res est, dein prorsus eventu frustrata. Exigua particula inchoatorum Is. Casauboni *Commentariorum*, non ultra vicesimum Libri primi caput excurrens, at vel sic tamen justam fere libelli molem

COM-

h) Vide Casauboni Epist. 69. 119 & 120. ad Bongarsium.

i) Casaub. Epist. 562. 567.

k) Idem, Epist. 526. 632. 636. 637.

complens, post mortem Casauboni Parisiis anno MDCXVII. chartis octonis separatim prodiit.

## 7.

Restabat alter Titulus sive Locus, quem de Constantini Eclogio ex Historicis Græcis ad hunc diem repertum dixi, *Excerpta περὶ Ἀρετῆς καὶ Κακίας, de Virtutibus & Vitiis* complectens; inter quæ rursus bene multa, minime spernenda occurrebant, quæ ex Polybio ducta erant. Ista Excerpta HENR. VALESIVS ex Codice *Peiresciano*, cum *Versione Latina* eruditisque *Adnotationibus* edidit Parisiis MDCXXXIV, adjecta etiam nova collectione *Fragmentorum Polybii, ex variis Auctoribus* conquisitorum.

## 8.

Itaque rursus IACOBVS GRONOVIVS, quum a bibliopolis Amstelodamensibus ad curandam, quam parabant, novam Polybii editionem admodum juvenis esset invitatus, paratam a Valesio materiam invenit, qua suam illam editionem ditaret, quæ *Amstelodani* MDCLXX tribus voluminibus forma octava prodiit. Ceteroquin ad ipsam *Casaubonianam* per omnia (leviusculas quasdam correctiones si excipias, rarissimis nonnullis locis partim Græco contextui, partim latinæ Versioni adlatas) ad verbum expressa est *Gronoviana* hæc editio: ditata tamen, præter Excerpta Valesiana, II. Casauboni inchoato olim Commentario in Polybium, tum Merici Casauboni Notis, ex Isaaci patris potissimum adparatu excerptis, & Vrsini ad Legationes Notis, Palmeriique in Polybium Exercitationibus, denique adjectis ipsius *Jac. Gronovii in Polybium Notis*; quibus partim loca nonnulla vel corrigere ex conjectura vel illustrare tentavit, partim Casauboni versionem latinam hinc inde supplevit aut emendavit, ad locum etiam unum & alterum in Excerptis Antiquis Lectionem ex Ms. Codice Leidensi depromsit. Vrsini Emendationes Editioni suæ adjicere consultum non duxit Gronovius.

9.

Post Valesiana Excerpta de Virtutibus & Vitiis nihil amplius, quod sciam, ex Polybio ductum, quod haecenus latuerit, in lucem fuit protractum, nisi *Fragmentum* illud, satis quidem notabile, *de Obsidione Anibracis*, quod idem *Iac. Gronovius*, absoluta jam Polybii editione secum a Valesio communicatum, *Dissertationi Epistolicae in loca quaedam T. Livii*, quae Tomo secundo Livii Gronoviani adjecta est, pag. 65 & seq. inseruit. Excerpterat illud Fragmentum Valesius ex eodem Codice Regio, e quo jam ab H. Casaubono, qui *Librum manuscriptum Anonymi Tactici* vocat, fragmenta nonnulla Polybiana fuerant in medium prolata. Est autem HERONIS junioris Libellus *de repellenda obsidione*;<sup>l)</sup> qui postmodum cura Thevenoti inter *Veterum Mathematicorum, Athenæi, Apollodori, Philonis, Heronis & aliorum Opera* editus est *Parisis* e Typographeo Regio MDCXCIII. Sed ad emendandas ex codicibus manuscriptis easdem Historiarum Polybii reliquias, quae jam erant in publicum evulgatae, subsidii nonnihil partim superiori etiam seculo depromptum est, *Lectiōibus Polybianis MSc. Codicis Augustani* a *Ioh. Henr. Boeclero Argentorati* exeunte eodem anno M. DC. LXX. in lucem emissis, quo ineunte Gronoviana prodierat editio;<sup>m)</sup> partim hac nostra ætate, *Lectiōibus Codicis Bibliothecæ Universitatis Tübingensis* Tübingæ editis anno MDCCLXXVIII. a *Reussio* Viro clarissimo, tunc Bibliothecæ Tubingensis, nunc Göttingensis Custode. Quorum subsidiorum illud, quod ex Augustano Codice petatum est, simul ad Libros quinque priores Polybii, simul ad Excerpta antiqua ex XII sequentibus

l) Ὅπως χρητὴ τῶν τῆς πολιορκουμένης πόλεως στρατηγὸν πρὸς τὴν πολιορκίαν ἀντιτάσσειν, καὶ οἷοις ἐπιτηδεύμασι ταύτην ἀποκρούειν.

m) Idem HENR. BOECLERVS nostris, decimo septimo anno priusquam Gronoviana prodiret editio, de nova Editione Polybii Casauboniani,

cui accederent Supplementa Pircisciana atque alia, cogitaverat; jamque Argentorato dimiserat specimina aliquot foliorum ad exemplum Casaubonianum elegantibus typis expressorum; ut docet ipse in *Lectiōib. Polyb. p. 177 sq.* Sed successu caruit illud institutum.



tibus Libris pertinebat; hoc, ex Tubingensi, nonnisi ad eadem Excerpta inde a Libro septimo spectabat. *Editio autem Polybii Gronoviana repetita est Lipsiæ anno MDGCLXIV, tribus voll. schedis octonis, cum Præfatione IO. AVGVSTI ERNESTI, qui Lexicon etiam Polybianum sive Indicem Græcorum verborum adjecit.*

## II.

*De ratione atque conditione SUPERIORVM EDITIO-  
NVM POLYBII, præcipue quoad GRÆCAE  
LECTIONIS CONSTITVTIONEM.*

Priusquam de consilio dicam, quod in hac nostra procuranda Editione Historiarum Polybii sumus secuti, consentaneum videtur, ut, *Quid de ratione atque conditione superiorum Editionum, præsertim quoad Græcæ Lectionis sive Textus, quam vocant, constitutionem, ad hunc diem fuerit compertum, & quid in eisdem a Viris doctis merito desideratum esse videatur, paucis exponamus. Sic facilius iudicare æquus Lector poterit, satisne causæ fuerit, novi quidpiam in hoc genere moliendi.*

## I.

Et OBSOPOEI quidem Editionem, quam eandem HAGENOENSEM pariter adpellare licebit, ex uno scripto Codice esse confectam, qui ab Iac. Ottone Ætzelio, causarum oratore, quem Norimbergensem fuisse dicunt, Editori fuerat communicatus, satis ipse Editor in Præfatione declaravit. Nam quod locis nonnullis, eisque oppido paucis, lectionem in margine posuit discrepantem ab ea quam contextus habet; non video sagacissimo Reiskio quid acciderit, hinc inferenti, *necesse esse, plures Polybii Codices ad manus ei fuisse, e quibus excerpserit illas in margine adscriptas varietates lectionum.*<sup>n)</sup> Poterat enim cogitari,

n) Reisk. in Animadvers. in Polyb. p. 276 sq. Idemque in Pref. ad sua Polybiana, p. 772 & 774.

tari, quod Ernestio iudice *in promptu* erat, o) *idem fecisse Obsopæum, quod ceteri qui ex uno libro ederent scriptorem veterem, h. e. quæ vel manifeste vitiosa essent, vel ei tum viderentur, pro facultate correxisse, & quæ correctiones certæ viderentur, in textum intulisse, ceteris, in quibus dubitatio superesset, in margine positis.* Quibus tamen verbis nollem idem Vir doctissimus hæc subjecisset: *nam aliter intelligere lectiones marginis qui possumus, cum uno codice usum constat?* Quasi vero non potuerit Editor discrepantes illas lectiones eodem etiam modo in ora scripti libri, quo usus est, adnotatas reperire: quod sane in quam plurimis antiquis codicibus, sive a diversa manu, sive ab eodem librario, passim factum videmus. p) Habet autem illa princeps editio cum omnibus, quæ ex uno veteri libro, in illis præsertim renascentium Græcarum literarum incunabulis, ductæ sunt, hoc commune, ut innumerabilis cujusque generis erroribus atque maculis scateat; aliis quidem levioribus, & facile detergendis; sed sane quam plurimis ejusmodi, in quibus eluendis vel exercitatissimum ingenium frustra fatigetur. *Ipsæ codex Obsopæi, e quo si hodiernum consuli & secundis curis tractari posset, multi haud dubie errores, qui in illam editionem irrepsere, felicissime tolli possent, quo pervenerit, nesciri conquestus est Reiskius.* q) Ceterum fides ac diligentia & dexteritas Editoris haud obscuræ videntur: & quod si præsertim locorum cogitemus intervallum, quo prohibitus est ne dirigere typothetæ laborem corrigereque errata ipse posset; mirari sane subit, quod non multo magis etiam male affecti Libri illi Polybiani prius tunc in publicum prodierint; simulque intelligitur, non nimis misere depravatum fuisse Codicem, unde illos depromsit Obsopæus. Quare etiam non paucæ lectiones in hac editione reperiuntur probatissimæ, & ex  
hac

o) Ernesti in Præfat. ad Polybium p. XII.

p) Eaque ratione omnes, quas Obsopæus in margine habet, lectiones ex ora unius ejusdemque Codi-

cis ductas esse, ipsa Codicis inspectio nos docuit. Conf. infra, Sect. IV. n. 1.

q) Præf. ad sua Polybiana, p. 772.

hac in Basileensem transferunt, a quibus temere deinde discessit Casaubonus: rursusque multa passim probarum lectionum vestigia supersunt, paululum quidem obscurata, quæ, non satis perpensa, deserens idem vir doctissimus, longius interdum & a verbis & a sententia auctoris aberravit. Quorum generum ex utroque bene multa loca opportune sunt a *Ioh. Iac. Reiskio* in *Animadversionibus in Polybium* <sup>1)</sup> adnotata, qui haud raro veram germanamque scripturam, vel ex ipsa hujus Editionis lectione, vel ex vestigiis quæ illa servaverat, Polybio sagacissime rectissimeque restituit.

## 2.

IN HERVAGIANA sive BASILEENSI Editione quid sit præstitum, ARLENIUS in *Præfatione ad Diegum Hurtadum Mendozam, Cæsaris (Caroli V.) apud Paulum III. Pont. Rom. legatum*, his verbis exposuit: *Libros quinque priores, quorum editionem ante annos aliquot docto viro Vincentio Obsopæo debebamus, jam ad manu scriptos codices collatos, una cum sexto propemodum integro datus, multo tum castigatior, tum alicubi plenius instructus. Quibus ex domestica Tua bibliotheca duodecim consequentium librorum Epitomen (quam a Corcyra, ex doctissimi senis Iani Moschi libraria supellectile nactus eras) nunc primum adjecimus. Quosnam vero ad manuscriptos Codices exemplum Obsopæi fuerit in usum Hervagianæ Editionis collatum, quum aperire non dignatus sit Arlenius, lucem deinde aliquam afferre potuit Epistola Codici Augustano a Xysto Betulejo, Scholæ Augustanæ per id tempus Rectore & Bibliothecario, præfixa, quam in Lectionibus Polybianis retulit Bœclerus p. 164. Cujus hoc est exemplum: Xystus Betulejus candido Lectori S. Cum hoc Codice contulimus illud exemplum, quo usus est Hervagius in editione Polybiana. Facta est hinc accessio ad illam editionem minime pernitenda. Quæ autem in Hervagiano exemplari, quod nos*  
nostro

1) Volumine quarto Animadversionum ad Græcos Auctores.

nostro melius erat, auctiora inveniuntur, Marginibus his nostris annotavimus.<sup>s)</sup> . . . Nostra post collatione in transferendo usus est W. Musculus, cum Tiguri exularet. Facta est collatio in hyeme anni 1548. De aliis codicibus manuscriptis, præter Augustanum, cum quibus (ut indicare videtur Arlenius) collatum fuerit exemplum Hervagianum, nihil compertum est. Sed ne certum quidem est, plures fuisse adhibitos. Nempe moris olim fuit, *manuscriptos Codices*, perinde ac si plures essent, in titulis præsertim librorum jactare, ubi non nisi unus fuerat in usum vocatus. Sic memini Hæschelium, virum minime ceteroquin vanum, cum Appiani Historiam Illyricam ex codice Augustano ederet, unico quem viderat atque noverat, similiter in titulo scribere *e Codd. MSS. Reipubl. Augustanæ*. Ceterum si quaerimus, quid vel quale sit, quod ex Augustano illo codice profecerit editio Basileensis; ex Bæcleri Lectionibus Polybianis intelligere licet, bene multas probas atque verissimas inesse Codici illi Lectiones, quas nec in contextu expressit editor Basileensis, nec in margine adnotavit: ex collatione autem Basileensis cum Hagenoënsi editione apparet, in corruptas quidem Lectiones plerumque consentire utramque; nec tamen ita raro ab Hagenoënsi Basileensem, subinde quidem recte atque merito, sed non minus sæpe perperam atque prava ratione discedere; mox quidem nulla lectionis varietate in margine notata, mox scriptura manifeste vitiosa in contextum recepta, melioreque ad oram libri relegata, mox rursus eadem ora apertissimis erroribus onerata, ubi de veritate lectionis, quam cum Obsopæo tenet Contextus, nulla poterat dubitandi causa subesse. Quod autem *plenius alicubi instructos* in hac editione libros priores Arlenius dicit, id pertinet ad insignem aliquam lacunam, quæ, cum in Obsopæi editione Libro I. cap. 19 sq. fuisset, in hac ex Augustano codice suppleta est: ac nescio, an etiam *Libri sexti Epitomen* respiciat, quæ & initio & in

fine

s) Vide infra, Art. IV. n. 2.

fine multum auctior est apud Hervagium, quam fuerat apud Oporinum. Sed undenam illud initium & finem Epitomæ sextæ habuerit Hervagijs, ex proprio - ne codice manuscripto, an ex solo Augustano,\*) non declaravit Arlenius. Nam de *Mendozæ* quidem Codice, e quo ceterorum Librorum Epitomæ ductæ sunt, ita differit, ut satis intelligatur, illum a *septimi* demum *Libri* Epitome initium sumsisse. u)

## 3.

Eximie haud dubie & præclarissime de Scriptore nostro **FVLVIVS VRSINVS** commeruit. Nam sicut per se maximi momenti & plurimæ utilitatis sunt *Eclogæ de Legationibus*, quas illi debemus; sic in eis emendandis illustrandisque, & cum Livio conferendis, cum doctrina hujus viri atque industria, tum præsertim ingenium, singulariter elucet. Certe quum Codex manuscriptus, quem ab Antonio Augustino Archiepiscopo Tarraconensi missum acceperat, infinitis pæne mendis (quod & ipse profitetur, & ex ejus Adnotationibus satis adparet) esset corruptus; longe maximam monstrorum illorum partem, veluti divina quadam arte, felicissime sustulit Fulvius, ac veram Polybii nobis restituit scripturam. Sed merito in eodem viro reprehendit Reiskius,\*) quod, *qua plerumque usus est cautione, ut sui codicis mendas fideliter atque diligenter indicaret, eadem non ubique voluit uti.* Nam quum fieri non posset, quin in tanto Emendationum ex inera conjectura adhibitarum numero multæ essent, quæ specie quidem aliqua sese commendarent, sed longe etiamnum abessent a vero: (cujus generis complures ab Reiskio notatæ sunt, in quibus aut

*Jana,*

t) Loco, quem superius citavimus, videtur significare Arlenius, totam Epitomen sextam *Parisijs apud Io. Lodericum* fuisse excusam: quod si ita est, (quod mihi hætenus non liquet,) hinc primum eam sumsisse putandus fuerit Editor Basileensis.

u) Confer quæ de *Codicibus MSSis Excerptorum antiquorum* dicentur in Præfatione Tomo secundo hujus Editionis Polybii præmittenda.

x) Præfat. ad Polybianam, p. 779 sq.

*sana*, ut ait ille, *ultra vitavit Vrsinus, aut vitiosa in pejus mutavit*; ) quoties quidem in Adnotationibus indicavit Editor ipsam codicis scripturam, toties de pretio emendationis iudicium facere eruditus lector potest; sed ubi nihil aliud nos docere dignatur, quam *se locum istum ex ingenio emendasse*, quod haud ita raro Vrsinus facit, tum quidem nullam nobis facultatem iudicandi, Vrsinum-ne an Polybium legamus, relinquere voluisse videtur. Sed vel sic tamen subinde satis adparet, minus feliciter emendata esse ejusmodi loca; quamquam melius nihil tentare ipsi possimus, quandoquidem codicis lectionem, qui veri fortasse vestigia monstrare nobis poterat, ignoramus. Similis est ratio *Emendationum in Polybium Hervagianum* ab eodem Vrsino editarum; quæ sicuti numero sunt plurimæ, neque ad leviora solum editionis Hervagianæ sphalmata, sed ad graviora etiam quæque vulnera Polybio a librariis inflicta pertinent, sic pondere atque momento pleræque excellunt ac maximi utiquè sunt faciendæ: quemadmodum & Casaubonus fecit, in bene multis presso pede Fulvii vestigia secutus. Istarum igitur Emendationum nonnullis quidem notam adjecit Vrsinus, qua monet *ex vetere scripto libro* esse ductas; ad aliasque complures monuit, suo *ex ingenio* esse prolatas: sed longe maxima pars, & in his multæ, quæ unde ductæ essent plurimum nostra intererat non ignorare, nullam adjectam notam habent; quo fit, ut incerti, quid de illis statuendum sit, hæreamus. y)

## 4.

I S. CASAVBONUS, quin jam ante annum MDXCIV ad recensendum Polybium & nova editione illustrandum adplicuisset animum; z) præclare intellexit, absque codicum subsidio manu exaratorum vix posse quidquam, quod operæ esset pretium, in eo genere confici. Itaque plenæ  
b 2 sunt

y) Conf. infra, Sect. IV. n. 7.

Epistolam 21. ejusdem Casaub. ad Bongarsium, datam mense Decemb. 1694. & Dedicacionem Suetonii ad Philippum Canaium a Fraxinis.

z) Vide ejus Animadvers. in Suetonii Tiberium cap. 65. & conf.

sunt ejus Epistolæ ad amicos atque fautores precum & hortationum, quibus subsidia hujusmodi ab illis flagitavit.<sup>a)</sup> Nec spem eventus fefellit. Quinam autem sint *Codices Manuscripti*, quorum in recensendo Polybio copia fuit *Casaubono*, docet ipse suis verbis:<sup>b)</sup>

„In prima Parte (id est, in quinque prioribus Libris) usi sumus libro Regiæ Bibl. elegantissime descripto, sed manus recentissimæ: cui parilem dono dedit nobis olim vir nobilis *Antonius Verderius Lugdunensis*, sed in quo tres postremi libri deerant.<sup>c)</sup> His duobus vetustior est sæculo uno vel altero, quem nacti sumus e bibliotheca *Serenissimi Principis, Bavaricæ Ducis*.“<sup>d)</sup>

„In secunda Parte (id est, in Excerptis Antiquis) usi sumus libro ms. Regiæ Bibliothecæ non admodum bonæ notæ. Item vetustissimis membranis, Epitomen continentibus librorum *XVII primorum*, e bibliotheca *Seren. Principis, Urbini Ducis*.<sup>e)</sup> Suggestit & *V. Cl. atque doctiss. Franciscus Pithæus* exemplar hujus partis ms. quod deprehendimus esse illud ipsum, unde *Basileensis* editio fuerat desumpta. Accessit postea aliud e libraria viri ampl. *Io. Jacobi Memmii*. His duobus simile est tertium, quod nuper edito jam Polybio suggestit ultro e ditissima sua bibliotheca *Ill. Card. D. Joyeusius, Rothomagensis Archiepiscopus*.“<sup>f)</sup>

„In tertia Parte (id est, in Excerptis de Legationibus) multa emendavimus nec pauca supplevimus e codice ms. *περί Πρωτοβειῶν* viri eruditissimi *Andreas Schotti*; qui etiam fragmenta quædam e *Theodosii Parvi Excerptis* descripta ad nos misit; quæ tamen vulgata prius fuerant, verum aliis locis, quædam etiam in II. parte. Eorumpse excerptorum tomum primum invenimus in splendidissima librorum supellestili . . . *Jacobi Augusti Thuani*. Certe in prima fronte ejus libri erant hæc verba, etsi diversæ manus, *Ὁ ἐπαντοῖος τὸ καρὸν, Θεοδοσίος ἐστὶν ὁ μικρός*. de quo plura in *Commentariis*.“<sup>g)</sup>

His

a) Vide Epist. 50. 65. 69. 89. 93. 95. 103 &c. & Dedicacionem Polybii ad *Henr. IV.* Tomo III. edit. *Gron.* p. 57. (ed. *Ern.* p. 654.)

b) Post Præfationem, Tomo III. edit. *Gron.* p. 82. (edit. *Ern.* p. 324.)

c) Quales sint illi codices, infra videbimus *Sect. IV.* n. 11. 12.

d) Vide *Sect. IV.* n. 1.

e) Eundem Codicem in Dedicacione

Polybii his verbis laudavit *Casaubonus*: Non parum, inquit, instituto nostro codex ille, quo vix alium antiquiorem hodie putem extare, fuit utilis. De eodem uberius infra dicemus *Sect. IV.* n. 6.

f) De his Codicibus differemus in Præfat. Tomo II. do præmittenda.

g) Conf. eandem Præfat. Tomo II. nostræ editionis.

His igitur præfidiis munitus Vir doctrina atque ingenio excellens, quum in superioribus Editionibus essent *pleraque*, ut ait in Dedicatione ad Henricum Regem, <sup>h)</sup> *miserandum in modum corrupta; nos, inquit, pro copia librorum veterum atque ingenii sanavimus.* Ac sane, quantum sit, quod eruditæ atque sagaci hujus Editoris industriæ debeat Polybius, nulla est pagina, ac præsertim in Excerptis Antiquis quæ vocavimus, quæ non abunde declaret. Sed vel si plurima superesse loca oppido manca aut mendosa, quæ vel ex melioribus codicibus, si qui consulerentur, vel probabili etiam conjectura emendari possent; multa item a Casaubono esse mutata atque in alienum plane sensum detorta, quæ vel recte erant posita in superioribus editionibus, vel multo leviori ac diversa prorsus indiguerant medicina, & luculentis & frequentibus exemplis Reiskius in suis ad Polybium Animadversionibus demonstravit. Tum vero quoniam, ut jam supra monui, nescio qua causa dedignatus est doctissimus Editor principem Obsopœi editionem in consilium advocare; passim factum est, ut manifesta errata editionis Basileensis vel intacta relinqueret, vel aliena ratione mutaret. Denique quum optandum utique fuerit, ut priores præsertim quinque libri (e quibus, quoniam soli sunt quos integros habemus, & stylus Polybianus & tota hujus Scriptoris ratio potissimum debet cognosci) singulari præ ceteris cura ex optimis Codicibus essent emendati; sane non nimis lætabile est quod de scriptis libris, quorum in hac parte copia fuit Casaubono, ipse declarat. Nam codicem Regium, quo usus est, *recentissimæ manus* fuisse profiteretur: & quum simul ait, *elegantissime fuisse descriptum*; intelligi poterat, esse eundem codicem, quem ab Aug. Vergerio Calligrapho, decimo quinto demum anno post editum ab Obsopœo Polybium, in ipsa urbe Parisiorum descriptum esse, ex Catalogo MStorum Bibliothecæ Regiæ discimus. Alterum vero Codicem, qui non nisi duos priores Polybii Libros continet, quem dono sibi datum narrat Casaubonus,

h) pag. 57. ed. Gron. p. 654. ed. Ern.



non melioris fuisse notæ, haud obscure significavit. Denique de Bavarico Codice ita frigide loquitur in Dedicatio-  
 ne ad Henricum Regem, <sup>1)</sup> ut facile intelligatur, parum ex  
 illo profecisse Casauboni editionem, sive quod parum in  
 illo subsidii fuit, sive quod negligentius eum tractavit Edi-  
 tor, aut quod serius accepit. Quæ cum ita sint, quando-  
 quidem plurimum tamen differt Casaubonianus Contextus  
 a Basileensi, consequens erat, ut suspicaremur, & pauca &  
 dubiæ auctoritatis esse, quæ in prioribus quidem quinque  
 Polybii libris *a manuscriptis codicibus* accepisset Casaubo-  
 nus; longe vero plurima partim e sua *conjectura*, partim  
 ex Vrsini ingenio (quem in bene multis, ut supra docui,  
 secutus est) fuisse a docto hoc Editore mutata. Ceterum  
 & in his prioribus libris, & in reliqua omni Casauboniana  
 Polybii recensione, id certe requirebatur, ut, quid meræ  
 conjecturæ debeatur, quid scriptorum librorum, quibus  
 usus est Editor, testimonio confirmetur, docerentur Lecto-  
 res. Atque id ipsum quidem cognoscere discernereque  
 plerisque saltem in locis, <sup>h)</sup> nobis liceret, si institutos a Ca-  
 saubono Commentarios haberemus. Sed quum nec id,  
 quod de illis Commentariis in lucem est editum, ultra vice-  
 simum libri primi caput progrediatur, & oppido pauca sint  
 huc facientia, quæ posthac Mericys Casaubonus ex schedis  
 paternis supplevit; <sup>1)</sup> superest, *ut, quemadmodum Reiskius*  
*ait, quæ Polybii oratio hodie, a Casaubono inde, inter ma-*  
*nus doctorum hominum versatur jactaturque, nulla certa*  
*nitatur*

i) Tom. III. edit. Gron. pag. 57.  
 (p. 654. edit. Ernesti;) ubi sic:  
*Invit postea aliquid & exemplar seren-*  
*principis Maximiliani Bosporum ducis.*

k) Non ubique id curaturum  
 fuisse Casaubonum, intellexi ex in-  
 choatorum Commentariorum frag-  
 mento quod editum est: in quo ad  
 loca nonnulla, ubi ex mera conje-  
 ctura, eaque non necessaria, a le-  
 ctione, in quam scripti libri cum  
 editis consentiebant, recesserat Ca-

saubonus, nec lectionem, quam de-  
 seruit, memoratam video, neque  
 quidquam de facta mutatione moni-  
 tum.

l) In *Notis in Polybium*, quæ Gro-  
 novianæ editioni primum adjectæ  
 sunt: ubi subinde etiam conjectu-  
 ras nonnullas, quas in contextum  
 quidem non receperat Isaacus pater,  
 sed in versione latina tamen expresse-  
 rat, ex ejusdem schedis græce pro-  
 tulit.



**THIS PAGE IS LOCKED TO FREE MEMBERS**

Purchase full membership to immediately unlock this page

# Get Smart

Over 2,000 years of  
human knowledge in  
797,885 volumes

Instant access  
\$8.99/month

**Continue**

\*Fair usage policy applies

Oxonii manuscriptos nonnullos codices, de quibus inferius dicam, <sup>q)</sup> excussit, & discrepantes Lectiones ad oram exempli suæ editionis adscripsit. Parisiis dein ex illo codice Regio, qui olim ipsius H. Casauboni fuerat, & duos priores Polybii Libros continebat, Lectiones excerpsit, & ad ejusdem exempli suæ editionis marginem, una cum Bœcleri Lectionibus ex Augustano codice excerptis, adnotavit. Ceterum eadem in urbe in Henr. Valesii familiaritatem admissus, de locis vel corruptis vel difficilioribus Polybii subinde cum docto illo viro disseruit, & ab eodem Fragmenta nonnulla ad Polybium pertinentia, ex Heronis libro de repellenda Obsidione excerpta, <sup>r)</sup> accepit. Florentiæ porro in Italia ex tribus vel quatuor codicibus manuscriptis, partim ad quinque priores Libros, partim ad ceterorum Excerpta, lectionis diversitatem enotavit, atque in alio exemplo suæ editionis, diverso ab illo, quod supra commemoravi, consignavit. Denique & domum reversus, identidem Polybii studium resumens, variarum observationum sylvam, ad emendandum vel illustrandum hunc Scriptorem pertinentium, ac supplementum Notarum in Polybium olim a se editarum, vel exemplis suæ editionis adscripsit, vel in peculiare schedas digessit. Qui **ADPARATUS GRONOVIANVS AD POLYBIVM**, quum diu in obscuro latuisset, tandem cura & opera DAVIDIS RVHNKENII Celeb. Viri haud ita multos ante annos in *Bibliothecam publicam Universitatis Lugdunensis Batavæ* est illatus: cujus ex Bibliothecæ thesauris idem Vir Illustris, postquam consilium nostrum de Polybio ad veterum Codicum fidem recognoscendo emendandoque cognovit, pro singulari sua humanitate, ac juvanda

Gronoviani Bibliothecæ Lugdunensis. Paginae in eo referuntur ad editionem Casauboni. Accedit supplementum, non compactum, *Polybiana Peiresiana*, ut fert inscripto, comprehendens, id est, Indicem Græcorum verborum in Excerptis

de Virtutibus & Vitiis occurrentium; cujus paginae ad editionem Henr. Valesii referuntur.

q) Vide Sect. IV. n. 11. & Prefat. Tomi II. nostræ editionis.

r) Conf. Sect. I. n. 9.

vandarum ornandarumque harum literarum liberalissimo studio, quidquid est quod ad Polybium a *Iac. Gronovio* collectum reperiri potuit, ultro nobiscum communicatum voluit, atque totius illius Adparatus usum fidei nostræ commissum.

6.

LIPSIENSIS editio, quæ *Io. Augusti ERNESTI* celebre nomen in fronte gerit, & nitida satis est, & usu-commoda, & ab operarum erratis diligenter purgata. In erudita Præfatione, qualis ab illo Viro expectari poterat, multa notatu digna, quæ ad Polybium spectant, opportune monentur. Lexiconque Polybianum, sive Index Græcorum verborum, quamquam multa, quæ adnotari merebantur, frustra in eo quæras, nonnullaque haud satis feliciter sunt exposita, alia denique ex mendosa Lectione, quæ vulgo circumfertur, inserta sunt, plurimam tamen habet utilitatem: verissimaque laus est, quæ eidem in inscriptione tribuitur, multa Polybii loca in eo emendari, explicari illustrarique. De *græco vero Polybii Contextu* latinaque Versione si quærimus: quum nullum aliud fuerit consilium, nisi ut Gronovianum renovaretur exemplum,<sup>s)</sup> quod ipsum ex Casauboniano erat expressum; ipse Præfator laudatorque hujus Editionis Ernestius satis graviter de eis rebus verba fecit, quæ & in græco & in latino Polybio, qui ad hunc diem in manibus hominum versatur & in illa Editione repetitus est, desiderantur; luculenterque demonstravit, quam vehementer esset optandum, ut Scriptorem hunc novo studio ex scriptis Codicibus aliisque præfidiis corrigendum expoliendumque aliquis susciperet.<sup>t)</sup> Quam operam quum idem Ernestius a Petro Wesselingio, cui Diodorum Herodotumque instauratos debemus, aut ab huic simillimo viro navatam Polybio olim cupivit;<sup>u)</sup> perspecte vidit Vir doctus, quali patrono vindiceque dignus esset nobilissimus Scriptor. Ac sane, si quem virum ita & ab ingenio & a

b 5

doctri-

s) Vide Ernest. in Præf. p. XI.

u) Ibid. p. XIX.

t) Ibid. p. XIX seq. & p. XXIII.

doctrina instructum, qualem Ernestius itemque Reiskius Editorem voluerant esse Polybii, suscipientem vidissemus illud negotium; nos quidem, conscii nostræ mediocritatis, idem audere nunquam in animum induxissemus. Nunc, quum deserta jaceret provincia, postquam operam nostram Appiano nuper præstitam haud inutilem rei literariæ æquis æstimatoribus vitam esse intelleximus, Polybio similem ferre opem, quoad nostræ vires paterentur, decrevimus. Ac quoniam non modo ad id tempus, quo jam inultum in hoc incepto eramus progressi, sed & ad ipsum hunc diem, nihil de cujusquam consilio eandem capessendi provinciam accepimus; fortiter institutum nostrum sumus persecuti, de quo nunc paucis exponemus. Nam quæ Oxoniæ jam dudum prela exercet *nova Polybii Editio*, quæ superiori anno in lucem debuerat prodire, eam *Et in græco Contextu Et in latina Versione* nihil nisi *Ernestinæ*, id est, *Casaubonianæ* atque *Gronovianæ Editionis esse repetitionem*, pridem per Tyrwhittum doctissimum humanissimumque Virum, cujus obitum Græcis præsertim literis funestum paulo post Musæ omnes deslerunt, certior eram factus. Ceterum satis habeo exploratum, discrepantias quidem atque aberrationes omnes duarum principum Editionum, Hagenoënsis & Basileensis, tum Lectiones Codicis Augustani a Bœclero editas, Emendationesque & Conjecturas Vrsini, Gronovii, Reiskii, omnia promiscue & nullo selectu Contextui subjecta exhibere Oxoniensem illum Polybium; ex manuscriptis autem Codicibus, præter illas quas dixi Augustanas Lectiones, nihil accessisse, quod vel ad judicandum vel ad emendandum Textum Casaubonianum valeret.

### III.

#### *Novæ HVIVS EDITIONIS præcipuum Consilium.*

Nos igitur in suscipienda hac opera, quam Polybio dicavimus, cum alia quidem nonnulla commoda spectavimus

Lectō-

Lectorum; tum vero hoc præcipue sumus secuti, ut *ex Veterum Librorum maxime auctoritate, &* sicubi illa deficeret, *ex probatissimis doctorum Virorum Conjecturis emendatissimum*, quoad fieri posset, ac nativæ suæ puritati integritatique restitutum, *quidquid Historiarum Polybii superest*, daremus. Cum quo simul illud voluimus esse conjunctum, ut materia suppeditaretur facultasque omnibus, qui tractandorum Scriptorum græcorum usum aliquem haberent, ut *de tota ratione ac constitutione Textus Polybiani*, quem exhiberemus, & de singulis ejus partibus, per se ipsi facere judicium possent.

Ad istud igitur consilium pertinere hoc primum nobis visum est, ut *& inter se conferrentur superiores Editiones, & ad Codicum manuscriptorum normam*, tam eorum ipsorum (quatenus liceret) quibus usi essent priores Editores, quam optimorum quorumque aliorum, *diligenter exigentur*. Cujus laboris duplicem fore fructum intelleximus: unum, ut in superioribus editionibus quid ex vetustis Libris ductum sit, quid ex Editorum ingenio sive in melius sive in pejus fuerit mutatum, denique quid vel ex operarum etiam errore vel alio quodam casu irrepsit, planius possemus discernere: alterum fructum, ut ex diversarum Lectionum copia, quas veteres subministrarent Codices, seligere liceret quæcumque persanandis ac restituendis locis, quæ ad hunc diem corrupta vel defecta vulgo legabantur, infervirent. Quandoquidem vero facile adparebat, multa superfutura loca, quibus non nisi ex conjectura, plus illa minusve certa aut evidenti, remedium possit adferri; conquirendum simul adnotandumque putavimus quidquid esset, quod doctorum Virorum sagacitas, sive ex instituto id agentium, sive in transcurso, ad emendanda male habita Polybii loca protulissent: eisque virorum doctorum conjecturis quin nostras adjiceremus, si quæ occurrerent quæ insigni aliqua veri specie vel ipsa evidentiz luce commendabiles viderentur, non duximus dubitandum.

Ceterum

Ceterum istum diversarum Lectionum & Emendationum ex conjectura prolatarum adparatum nonnisi tanquam ad spectaculum producere, & corruptissimam interim quamque aut invitis manuscriptis temere invecam Lectionem, utut parata adesset medicina, intactam tamen in Contextu relinquere, exiguae res utilitatis semper nobis visa est; qua neque dignitati Scriptoris, in quem curam suam contulerit Editor, neque Lectorum usui atque commoditati satis esset consultum. Itaque ad instituti nostri caput atque summam eam, quam paulo ante significavimus, hoc ipsum porro vel maxime pertinebat, ut, ubicumque & manifeste corruptum visum esset id quod in Casauboniano Contextu invenissemus, & simul aut certa aut valde probabilis visa esset Emendatio, quae vel ex scriptis Libris vel ex conjectura rationibus criticae artis nixa suppeteret, ibi *Emendationem illam*, proscripto errore, *in Contextum adoptaremus*: atque multo etiam magis, ut, ubi temere vel Is. Casaubonus vel, priores Editores discessissent a veterum librorum vera aut vero proxima lectione, ibi, rejecta intempestiva correctione, quae interdum a Scriptoris sententia prorsus aberrabat, Polybio quod suum esset postliminio restitueremus.

Sed ut de ratione, qua in emendando constituendoque Textu Polybiano essemus versati, eruditus quisque Lector per se ipse judicare, atque, ubi opus videretur, meliora certioraque ad expoliendum hunc Scriptorem facilius seligere exquirereque posset; intelleximus, *omnem Lectionis varietatem* ex superioribus editionibus atque ex manuscriptis libris excerptam, nec non *Conjecturas* pariter *virorum doctorum* illas, quae speciem aliquam haberent, nec a nobis in Contextum essent adoptatae, in medium tamen esse proferendas. Atque id quidem rectissime commodissimeque ita nos facturos fuisse poterat videri, si omnem nostrum ex eo genere adparatum infra Contextum statim oculis Lectorum subjecissemus. Quod duabus de causis non fecimus. Prima, quod tanta laxius erat variarum Lectionum

num & Conjecturarum adnotandarum copia, ut in his prioribus Editionis nostræ voluminibus, quibus Textum Polybianum cum Latina Versione continua serie exhibere placuit, nimium spatii fuissent istæ notationes occupaturæ. Altera causa, quod ne sic quidem satis consultum intelleximus usui atque commoditati Lectorum. Namque disturbat inter legendum & obruit promiscua discrepantium Lectionum Emendationumque multitudo oculis Lectorum subjecta; neque fere aliam vim habet, nisi ut, dum omnia profunduntur, & in his multa non necessaria, nec per se quidem magnopere utilia, plerumque etiam reliqua, quæ attentionem utique merebantur, aciem effugiant legentium.

Itaque discernenda duo genera duximus *Notationum*, ad *varietatem Lectionis aut ad Emendationes ex conjectura prepositas spectantium*. Nam quum & discrepantium Lectionum & Conjecturarum unum genus sit ejusmodi, ut, quamvis vel per se veri aliquam speciem habere possint, vel alia quacumque de causa adnotari mereantur, tamen nec cum illa Lectione, quæ in Contextum recepta fuerit, probabili ulla ratione possint conferri, neque dubitationem ullam de illius veritate debeant cuiquam lectorum movere: nec hoc quidem genus abesse debere putavimus ab ea editione, quæ copiosam materiam ad judicandum de tota constitutione Textus Scriptoris exhibere profiteatur; sed neque opus esse, nec admodum ex usu rati sumus, ut hujus generis Notationes inter legendum oculis constanter subjectas habeat lector Polybii. Quare satis esse duximus, si hoc genus Notationum *Commentariis nostris & uberioribus Adnotationibus*, quæ *separatim duobus voluminibus* huic Editioni adjicientur, inseratur; ubi simul, quoad quidem opus fuerit visum, causæ exponentur, cur Lectio, quam in Contextu exhibuimus, citra dubitationem fuerit præferenda, & cur diversæ lectionis aut conjecturæ nulla fuerit ratio in constituendo Textu habenda.



Sed *aliud est genus discrepantium Lectionum*, quibus tantum inest momenti, ut *in eis fortasse ipse Editor dubius fuerit*, aut dubius esse quodammodo debuerit, sint - ne ipsæ per se amplectendæ, & in Contextum, rejectis æmulis, adoptandæ? aut, an insint eis vestigia saltem (obscurata quidem illa, sed sagacioribus fortasse aut doctioribus non prorsus obscura) aliarum Lectionum, quæ cum his, quas probaverit Editor, de principatu utique possint contendere? Eodem pertinent *Lectioes quamvis manifeste corruptæ veterum Codicum in eis locis, quæ ex Conjectura sunt ab Editore emendata*. Nam quamvis evidens videri possit Emendationis adhibitæ ratio; tamen, quoniam usu venit subinde, ut vel oculatissimus sagacissimusque lubricam veri speciem pro ipsa veritatis luce arripiat; cogitare semper debet Editor, fieri posse, ut vel minus, quam sibi visum fuerit, corruptus sit locus; vel ut in alia orationis parte, de cujus integritate ipsi nunc non succurrit dubitare, cubet mendam; vel ut longe diversam ab ea, quæ nunc ipsi unice necessaria videtur, requirat medelam. Similiter inter conjecturas a viris doctis ad ea loca propositas, quæ vel sana judicaverit Editor vel diverso modo emendanda, sunt Conjecturæ ejusmodi, quas negari non potest insigni veri specie esse præditas & dignas utique quarum ratio habeatur. Igitur quidquid nobis innotuit sive discrepantium Lectionum sive Conjecturarum, quod ad alterum hoc genus pertinere visum est, id ita adnotandum putavimus, ut *quaque pagina simul cum Contextu nostro Polybiano oculis Lectorum statim subjiceremus*.

Atque ut interim, dum uberiores nostræ Adnotationes prodierint, planius intelligatur ratio, quam in *selectu horum brevium Scholiorum faciendo* tenuerimus; paulo etiam enucleatius Leges eas, quas hujus rei causa nobis ipsi præscripsimus, exponemus. Scilicet 1°. Vbicumque aut scripti Libri aut aliqua superiorum Editionum exhibebant Lectionem, quæ, cum a nobis in Contextum non fuerit recepta, tamen vel per se insignem aliquam speciem veritatis

habere,



**THIS PAGE IS LOCKED TO FREE MEMBERS**

Purchase full membership to immediately unlock this page

# Know Your Bible

Forgotten Books'  
Full Membership  
provides unlimited  
access to more than  
28,000 volumes of  
Christian literature for  
\$8.99/month

**HOLY  
BIBLE**

**Continue**

\*Fair use policy applies

miretur Lector, si in eisdem Scholiis varietates interdum notatas invenerit ejusmodi, quæ per se exigui videantur esse momenti, ut ad sententiam quidem parum intersit, utram Lectionem amplectamur: meminerit enim, eam ipsam ob causam esse istas discrepantias simul cum ea Lectione, quam in contextu expressimus, oculis legentium subjectas, quoniam, cum veram atque genuinam Auctoris scripturam exhibere, quoad fieri posset, voluissemus, vel dubii nos ipsi fueramus, utra esset verior, vel ab erudito Lectore probabili ex ratione dubitari aut iudicium nostrum prorsus improbari posse suspicabamur.

Ceterum in omnibus illis Notationibus contextui subjectis pariter & *inutilem prolixitatem & obscuram brevitatem evitare studuimus.* Lectiones codicum, Conjecturasque virorum doctorum & nostras, ubi ex legibus præscriptis usus videbatur poscere, adnotavimus: causas, cur earum alias probaremus, alias minus, non adjecimus; quas plerumque per se facile perspiciet eruditus Lector, & qui scire desiderat, in Commentariis expositas inveniet. Sed quæ adnotavimus, ea ita posuimus, ut neque, ad quem locum pertineret quæque notatio, neque qua in re inesset discrepantiæ aut conjecturæ cujusque vis atque ratio, obscurum esse posset. Notas etiam, quibus varios Codices, Editiones, aut nomina Virorum designavimus, nolimus esse ambiguas aut ejusmodi ut in eis describendis nimis proclives essent operarum typographicarum errores.

## IV.

*Subsidia* CODICVM MANVSRIPTORVM, quibus usi sumus in emendandis QVINQVE PRIORIBVS  
POLYBII LIBRIS.

## I. CODEX BAVARICVS.

In prioribus quinque Polybii Libris, qui integri ad nos pervenerunt, postquam duas principes Editiones, Hagnoënsis & Basileensem cum Casauboniana doctus noster  
ami-

amicus Ioh. Georgius Dahler diligenter nostri causa contulisset; præter spem opinionemque accidit, quod olim in recensendo Appiano nobis contigerat, ut manuscriptos Codices eosdem, quibuscumque usi essent superiores Editiones, tractare recognoscereque liceret. Quæ res sicuti sola per se multum quidem abfuit ut ad emendandum pro desiderio nostro Polybium sufficeret, sic maximum tamen adtulit adjumentum & ad rectum iudicium de Textu, qui adhuc fuerat vulgatus, faciendum, & ad tollenda quam plurima omnis generis menda, quæ vel ex primis Editionibus (in quas partim errore aut festinatione Editorum, partim etiam operarum culpa irrepserant) in Casaubonianam propagata erant, vel ab ipso demum Casaubono, dum errores corrigere studuit, fuerant inuenta. Prius igitur Codex, quem excussi, & cum exemplo Casauboniano, ad cuius oram Lectiones priorum editionum & lectiones Augustanæ Bœcleri erant adscriptæ, accurate contuli, *Bavaricus* ille est, quem jam ipse Is. Casaubonus, ut supra vidimus, in manibus habuerat; cuius ejusdem codicis usura per Serenissimi Electoris Palatino-Bavarici indulgentiam in sex menses nobis fuit concessa. Modico volumine, cuius spissitudo duos vix transversos digitos æquat, continentur *Historiarum Polybii Libri quinque priores:*<sup>x)</sup> (quorum primus inscriptus est Πολυβίου Μεγαλοπολίτου Ἱστοριῶν πρώτη.) tum Ἡρωδιανοῦ Ἱστοριῶν libri octo: denique Ἡλιοδώρου Αἰθιοπικῶν libri decem: omnia ab initio ad extremum ab eadem manu, tam nitidis quam minutis calami ductibus, tersissimis in membranis descripta. Aetatem definire non ausim: scriptura Seculum XIV. videtur prodere. Medio sec. XVto Constantinopoli in occidentem delatum fuisse codicem, fidem facit id quod in postrema

mem-

x) In impresso *Catalogo Græcorum* peram perhibetur, esse inesse huic *Historiarum Codicum Bibliotheca Sereniss. Bavariae Ducis, No. CXCVII.* per-

membrana non sane ipsius Calligraphi manu, sed illius qui tunc codicem hunc possidebat, scriptum est his verbis: αὐτὴ ἡ βίβλος ἠνέχθη ἐκ τῆς Κωνσταντίνου πόλεως μετὰ τὴν ἀλώσιν (sic, pro ἀλώσιν) ταύτης. ἔστι δ' ἐξ... Quae sequebantur, de industria erasa sunt. Paulo vero inferiorius, in eadem pagina, haec leguntur, quae rursus ab alia manu ac fortasse aliquot annos ante superiora scripta sunt, quo tempore postremum Constantinopoli Concilium praesentibus tribus Patriarchis A. C. 1450 habitum est: y) Πάντων ποθούντων προστρέχου πρὸς τὴν πόλιν, ὅπου πανάγιοι τοῦ Θεοῦ λόγου παῖδες ἕστησαν εἰς σύστασιν τῆς οἰκουμένης. Ὁ ἐν πόλεμῳ νικητῆς, καὶ ἐν κινδύνοις ἰατρῆς· ὑπὸ τροχῶν καὶ μαγιάων χεῖρας ἐξέτενας μεγαλ:μάρτυς τοῦ Χριστοῦ Γεώργιος. δίοπερ ὑπὲρ ἡμῶν δυσώπει τὸν κύριον.

Ex dono *Ioachimi Camerarii, reipubl. Norimbergensis Medici*, Anno 1577 in Serenissimorum Bavariae ducum Bibliothecam pervenisse hunc codicem, docet inscriptio quae in fronte libri legitur. Quod ubi vidi, cum meminissem Norimbergensem perhiberi Aetzelium illum, e cuius Codice manuscripto Obsopæus anno 1530 eosdem quinque priores Polybii libros primum vulgaverat; subiit animum cogitatio, esse fortasse *eundem ipsum Codicem, quo usus olim Obsopæus esset; ex quo adeo, tanquam unico fonte, ducta fuerit princeps Polybii Editio.* Eamque cogitationem mox ipsius Codicis cum Obsopæi Editione curatius instituta collatio ita confirmavit, ut nullus dubitandi locus relinqueretur. Quo cognito, tantum abfui, quin cessandum a labore aut negligentius pergendum in excutiendo hoc Codice putarem, ut, non secus ac si nemo ante nos eodem fuisset usus, ad ejus praescriptum ab initio ad finem, quam diligentissime potui, exegerim Contextum ad hunc diem vulgatum. Ac tanto quidem dignior erat hic Codex, qui

y) De quo conf. Cave in *Scriptorum Ecclesiasticorum Historia Literaria* ad istum annum.

qui de novo solícite & curatissime excuteretur, quod a diligente utique atque docto librario scriptus, & a probó exemplo transcriptus est: ita quidem, ut compluribus in locis haud dubie vera genuinaque Auctoris scriptura hoc codice nobis conservata sit, ubi reliqui omnes, qui quidem nostram ad notitiam pervenerunt, vel depravati sunt vel lacunis laborant. Ac licet eximia & fide & industria atque doctrina Obsopœum, quum ex unico hoc Codice Polybium vulgaret, partibus Editoris functum esse cognoverim; tamen, præter plurima loca in quibus operarum puto culpa ab exemplari discessum est, haud pauca etiam deprehendi, in quibus ipse Editor sive per festinationem, sive quod Codicis scripturam parum nonnumquam intelléxit, a vero aberraverat. Itaque si H. Casaubonus hunc codicem; qui ei ad manus fuerat, cum Hervagiana saltem editione (quoniam Obsopœanam excutere non dignatus est) accuratius contulisset; plurima profecto in illo erat inventurus, quæ ad emendandum Polybium valebant in eiusmodi locis, quæ nunc vel intacta reliquit doctissimus ille Editor, vel ex ingenio in aliam partem quam veritas tulerat mutavit.

Lituræ vel nullæ omnino insunt libro Bavarico, vel oppido paucissimæ. Locis nonnullis discrepantem lectionem eadem manu vel superscriptam alteri lectioni vel in margine notatam exhibet: quo ex genere sunt eadem illæ Lectiones, quas in ora suæ editionis expressit Obsopœus.<sup>2)</sup> Ceterum nolim dissimulare, nonnullis in locis, sed eis sane haud frequentibus, Lectionem, quam exhibet hic Codex, ex docti viri conjectura nobis visam esse prognatam, sive is ipse fuerit scriba codicis, sive antiquior aliquis Literator,

c 2

qui

2) Conf. quæ supra dicta sunt Sect. II, n. 1. In una quidem earum Lectionum, quæ in ora cod. Bav. adnotatæ sunt, mirum quid accidit diligentissimo aliàs & haudquaquam sane indocto illi Editori. Nam num. lib. III. c. 10, codex Bav. in

contextu daret οἷόν τε εἶναι, in ora autem libri poneret Γρ'. ἤν, Obsopœus, aliud tunc animo agens, notam Γρ'. quæ γράφεται significat, particulam γὰρ designare ratus, οἷόν τε γὰρ ἤν edidit.

qui suas Conjecturas illi exemplari, e quo derivatus est Bavaricus codex, intulerat. Verbi causa, lib. II. cap. 61, 6. ex mera utique conjectura, eaque parum felici, insertum pronomen negans οὐδὲν ab eo videtur, qui vocabulo ἐμπροσθεν aliam sententiam, quam quæ ibi obtinet, subiecerat: quare negationem, quam ignorant ceteri codices, eicere e contextu non dubitavi. Sic IV. 25, 6. quum verbum συνανασώσους, quod recte conservarunt veteres membranæ Vaticanæ, corruptum fuisset & in συναντήσους mutatum; Criticus noster, videns non convenire cum hoc verbo ea quæ sequuntur, pro εἰ τινα scripsit εἰς ἢν αὖν, quod ex cod. Bav. expressit Obsopæus: quo facto, alius deinde vir doctus (quem Casaubonus secutus est) intelligens particulam αὖν subjunctivum modum requirere, κατέχουσιν porro in κατέχωσιν mutavit. Similiter IV. 65, 2. cum in veteribus libris mendose scriptum fuisset γεόμενος δὲ τοῦ στρατοπέδου, quod non dubito quin ex γέμεντος δὲ τοῦ στρατοπέδου corruptum sit; corrector ille, aliam conjecturam sequens, posuit γεομένων δὲ τῶ στρατοπέδῳ. Omitto alia, de quibus suis locis differetur.

## 2. CODEX AVGVSTANVS.

Iam, ut in Hervagiana Editione, quam pro basi suæ recensione posuit Casaubonus, quid ex manuscriptis Codicibus esset ductum, quid contra sive conjecturæ Editoris sive operarum errori ortum deberet, certius possemus judicare, *Augustanus* ille consulendus *Codex* erat, qui, ut supra docuimus, a) cum editione Obsopæi in usum Hervagianæ olim fuerat collatus. Quanquam enim eundem Codicem rursus cum editione Casauboniana jam pridem Bæclerus nostrâs contulit, Lectionesque ex illo excerptas publici juris fecit; tamen satis eram experimento edoctus, longe aliam vim habere, si Editori liceat ipsi suis oculis illustrare veteres Codices, atque si Lectionibus uti cogitur

ab

a) Sect. II. n. 2.

ab alio quamvis docto diligenteque viro excerptis. Itaque postquam hunc Codicem beneficio Amplissimorum ex Senatu Augustano Virorum, qui Bibliothecæ publicæ præfecti sunt, & clarissimi *Mertensii* Bibliothecarii benevolentia, sum consecutus; sedulo totum Librum denuo perlustravi, eundemque eorumdem Virorum indulgentia ad hunc usque diem ad manus habeo, & idemtidem in locis dubiis rursus inspicio atque consulo. Eoque minus pœnitere nos debuit laboris in hujus pariter codicis excussionem impensi, quod bene multas Lectiones in eodem inveni haud dubie probas aut ad verum propius, quam vulgata Lectio, accedentes, quæ vel prorsus præteritæ erant a Bœclero, vel parum recte enotatæ.

Codex est Bombycinus, satis eleganti manu minutis characteribus conscriptus, ita ut uno volumine, majori quidem forma, sed modicæ ceterum molis, simul cum quinque prioribus Polybii Libris Excerpta etiam ex reliquis Libris a sexto ad decimum octavum, ab eadem manu descripta, contineantur. Quod ipsum singulare ac proprium est huic Codici; quum ceteri omnes, quotquot hodie supersunt codices Polybiani, vel solos quinque Libros integros vel sola Excerpta complectantur: nam Mediceus, de quo infra dicetur, uno quidem pariter volumine omnia eadem cum Augustano comprehendit; sed ab alia manu scripta Excerpta habet, ab alia Libros quinque integros. Augustanus noster haud dubie in eorum fuerat numero librorum Msstorum, quos anno MDXLV Venetiis de Antonio Eparcho, Episcopo Corcyrao, octingentis nummis aureis emendos curasse Senatum Reipubl. Augustanæ Reiserus refert, in Indice Msstorum Bibliothecæ Augustanæ. De fatis ejusdem Codicis, ab Turcis ablati, nescio quid narrabat inscriptio recentiori græco idiomate primo folio inscripta, cujus quidem pars consulto oblitterata est. Aetas libri eadem fere, quæ Bavarici: sed familia diversa. Certo bene multis in locis a Bavarici exempli Lectione dissentit,



tit, ac sæpe quidem meliorem in partem. In margine rarissimas habet Lectiones a Contextu discrepantes, ab eadem manu adnotatas. Ceterum passim hoc vitio laborat, ut simili verborum vel initio vel exitu deceptus librarius ex uno versu in alium inferiorem aberraverit: quo ex errore quæ natæ sunt orationis lacunæ, eas ex Obsopœi Editione deinde supplevit vel Xystus Betulejus vel is cui ille hoc negotium commiserat.<sup>b)</sup> Neque tamen omnium istarum lacunarum culpa in ipsam hujus Codicis scribam, satis ceteroquin accuratum, est conferenda; sed major certe pars ex vetustiori exemplari, ut mox videbimus, est propagata.

### 3. CODEX REGIUS A.

Cum priori parte Augustani Codicis, quæ quinque priores Polybii Libros continet, plerisque in locis, ubi a Bavarico ille dissentit, convenit *Codex Regis nostri Christianissimi, No. MDCXLVIII.*, quem cum ceteris Codicibus Polybianis ex Regia Bibliotheca, intervenientibus Cel. Brunckii nostri amicissimis officiis, ad nos in usum hujus Editionis miserat Bibliothecæ Custos Clar. Bejot, vivis interea temporis insigni literarum amicorumque jactura ereptus. Multum hic Codex, quem *Regium A.* insignivi, differt ab illo Regio Codice, quo usus Casaubonus est, de quo deinceps dicemus. Foliis chartaceis non amplius duobus & octoginta, sed eis formæ longè maximæ, quam Regalem appellare consuevimus, quinque illos integros Polybii Libros comprehendit. Manu *Cæsaris Strategii* exaratum videri, monuit vir doctus, qui hunc Codicem in Catalogo Codicum græcorum Bibliothecæ Regiæ recensuit: puto, quod ex aliis Codicibus nota ei manus fuerat illius

Calli-

<sup>b)</sup> Juvenilis ea manus est, ac fortasse adolescentis illius, *Iob. Rheni, Abusiani*, cujus operam in conferendo hoc Codice usum se esse ait Xy-

stus Betulejus in Epistola Codici præfixa, quam ex Bæcleri Lectionibus supra commemoravi Sect. II. n. 2.



**THIS PAGE IS LOCKED TO FREE MEMBERS**

Purchase full membership to immediately unlock this page

# Get Smart

Over 2,000 years of  
human knowledge in  
797,885 volumes

Instant access  
\$8.99/month

**Continue**

\*Fair usage policy applies

## 4. CODEX VATICANVS.

Est in *Vaticana Bibliotheca*, præter alios Codices Polybianos, unus omnium qui hodie supersunt antiquissimus, *No. CXXIV.* signatus; quem Vir Doctissimus ac de Polybio nobisque meritissimus, IOSEPHVS SPALLETVS, cum Editione Hervagiana diligentissime contulit, Lectionesque inde excerptas, pro singulari suo bonas Literas iuvandi studio, benevole nobiscum comunicavit. Exaratus est Codex optimo stylo in membranis prægrandibus CCCIV, duabus in quaque pagina columnis. Nomen scribæ in fine adjectum legitur, & dies, quo absolutus labor est, his verbis: Πολυβίου Ἱστοριῶν Ε'. Εὐτυχῶς χερῶ. Ἐγραΐφη χειρὶ Ἐφραΐμ μονάρχου. μηνὶ ἀπριλίου <sup>1)</sup> ἔ. ἰνδ. ἔ. Anni nota, nescio quo casu, vel non adjecta est, vel hodie nusquam comparet: neque scribæ illius nomen aut ætas aliunde, quod sciam, nota est. Ceterum antiquum sane esse codicem, cum ex literarum ductibus, tum ex reliqua libri conditione ac forma adparet. *Antiquissimum* vocavit Montfaucon in *Bibliotheca Bibliothecarum* T. I. p. 4. Circa Seculum undecimum esse exaratum iudicavit Spallettus noster. Quidquid sit, certe alios omnes codices Polybianos, quotquot supersunt, qui priores quinque libros integros continent, ætate longe post se relinquunt Vaticanæ istæ membranæ. Quare quum & in tribus Codicibus, de quibus ante dixi, & in duobus aliis, quibus usus est H. Casaubonus, pariterque in Vrsini codice, hæud procul ab initio libri primi duobus locis inessent hiatus illi, qui in editione Hagenoënsi & Basileensi conspiciuntur & in Contextu Casauboniano nonnisi ex Vrsini ingenio expleti sunt; <sup>2)</sup> cupidus imprimis fui cognoscendi, eisdem - ne lacunis antiquæ hæ membranæ similiter essent fœdata.

f) Sic constanter *jota* in diphthongo *et* non subscripsit ille librarius, sed pro antiquo more ad latus vocalis *e* adposuit.

g) Vide lib. I. cap. 2, 7 sq. & cap. 3, 3. Confer H. Casauboni Comment. ad ea loca.

sedata. Et cognovi, non fuisse illas ab hujus labis contagio immunes.

Sed nemo idcirco suspicetur, esse fortasse primas has membranas, quas illa pestis invaserit, ut ex hoc deinde exemplo reliqui omnes nostri codices sint derivati. Neque enim in his membranis exesum aliquid aut vetustate corruptum in illis locis est, ubi sunt isti hiatus; sed spatia, quæ sunt vacua relicta, satis indicant, ex vetustiori exemplari labem esse propagatam. Et verò reliquorum Codicum collatio docet, multo vetustius Vaticano hoc Codice fuisse Exemplar illud, quod pro communi omnium nostrorum Codicum fonte sit habendum. Etenim Bavaricus Codex, ut jam supra innuimus, complures habet probatissimas Lectiones, quæ in Vaticano depravatae reperiuntur, & alias nonnullas lacunas, quibus ille laborat, rectissime explet. Augustanus vero & Regius, quos mutua cognatione arctissime inter se conjunctos esse dixi, cum Vaticano multo quidem frequentius atque constantius, quam cum Bavarico, conspirant; atque illius familiam propius utique attingunt; nec tamen ad ejusdem exemplum sunt descripti: quippe qui passim, partim in probatis Lectionibus, partim in depravatis, contra Vaticanum stant a partibus Bavarici. Ex quo intelligitur, per diversos canales atque variis temporum successionibus ex communi Fonte derivatos esse hos Codices omnes quos nobis fortuna servavit.<sup>h)</sup> Eoque majorem necesse est fuisse illius vetusti Exemplaris ætatem, quoniam eo tempore, quo ex illo describi cœperunt illi Codices, qui veluti stirpes nostrorum sunt habendi, jam situ ac vetustate fuerat exesum; quo factum est, ut illarum lacunarum contagium, de quibus supra dixi, ad omnes pervenerit. Sed non solum antiquitate venerabile fuisse necesse est illud vetustissimum & commune Codicum nostrorum exemplar, verum etiam probitate præstitisse:

h) Confer quæ infra n. 6. de Codice Urbinare dicentur, & n. 8. de Suidæ Codice Polybiano.

quandoquidem conferendo inter se varias Lectiones codicum, ex illo fonte derivatorum, satis emendatus Polybius prodire potest. Videturque idem vetustus Codex passim variantes Lectiones sive ad marginem sive intra lineas habuisse adnotatas; unde pars earum varietatum, quæ hodie in Codicibus nostris reperiuntur, originem duxerint. Sed quemadmodum lacunarum illarum contagium ex isto fonte ad reliquos omnes Codices manavit; sic & variæ aliæ labe, quibus jam infectus idem ille fons fuerat, rivos omnes, qui inde ducti sunt, pervaserunt. Quo factum est, ut quamvis diversarum familiarum Codices, qui ad ætatem nostram pervenerunt, nimis multis tamen in locis in scripturam manifeste corruptam veluti conjuratione quadam consentiant: unde latus etiamnum Emendationum ex conjectura tentandarum campus est relictus.

Ad *Vaticanum* nostrum Codicem ut redeam: sicut ex omnibus, qui hodie supersunt, est antiquissimus; sic plurimis in locis, ubi ceteri corrupti sunt, vel illibatam plane nobis servavit veritatem, vel non ita longe a recta via aberravit, quin veri vestigium attentus Lector satis etiamnum facile internoscere possit.

#### 5. CODICES FLORENTINI.

In *Adparatu Gronoviano ad Polybium*, quem adparatum singulari Illustris Rubnkenii beneficio debeo,<sup>1)</sup> est exemplum Editionis Gronovianæ, cujus margini in quinque prioribus Polybii libris adscriptæ sunt discrepantes Lectiones ex duobus *Codicibus Florentinis*; quarum Lectionum pleræque nulla nota codici adjecta distinguuntur, aliæ vero litera F. aliæ litera L. insignitæ sunt. Illorum Codicum alter (ut intellexi ex eis quæ ad finem libri quinti notavit Gronovius) est *Codex* ille membranaceus *Bibliothecæ Benedictinorum beatæ Mariæ Florentinæ*, Anno 1417 exaratus, quem postea laudavit Montfaucon in *Palæogr. Græca*

1) Vide supra, Sect. II. n. 5.

Græca p. 76 sq. rursusque in *Bibl. Msstor. T. I. p. 415.* Alter *Codex* est *Bibliothecæ Laurentianæ Mediceæ*, qui anno 1435 ex superiori descriptus est; de quo, præter eundem Montfauconium in *Palæogr. p. 79.* & *Bibl. Msstor. p. 375. n. IX.* consuli potest Bandinius in *Catal. Biblioth. Laurent. T. II. p. 628.* Ex istis duobus Codicibus Iac. Gronovius Mediceum hunc prius, quam alterius notitiam habuisset, tractaverat ac cum sua editione diligenter contulerat. Deinde, ut comperit alium esse in Abbatia Benedictinorum codicem, atque etiam ex eis quæ in fronte illius codicis leguntur intellexit, ex eodem codice Benedictinorum descriptum esse Mediceum, denuo ad illum non minori cura excutiendum sese accinxit. Et in hac quidem collatione, si qua in re discrepare deprehenderet apographum ab exemplari, ad lectionem ex apographo jam adnotatam adjecit literam *L.* id est *Cod. Laurent.*; alteri vero Lectioni, quam nunc demum ex exemplari enotabat, adjecit literam *F.* id est *Cod. Florent.*; ubi consentirent inter se codicis utriusque lectiones ab impresso discrepantes, ibi lectioni ex altero codice jam adnotatæ nullum signum adjecit. Quod per has ambages ductus est Gronovius, qui haud dubie, si in Florentinum illum prius incidisset, alterum vix fuerat inspecturus; id hætenus in Polybii cessit commodum, ut collatio ista (quam haud vulgari cura institutam esse credi potest ab eo viro, qui Polybium jam ipse ediderat, & alteram moliebatur emendationem editionem) tanto exquisitior certiorque fieret, quoniam iterato est instituta. Nos vero, uti par erat, aberrationes apographi negligentes, utrumque codicem pro uno censuimus, quem *Flor.* insignivimus.

Ac sane maximum nobis ad emendandum Polybium quam plurimis in locis subsidium opera ista Gronoviana erat collatura, nisi jam ex aliis bonæ notæ codicibus plerumque enotatas habuissemus easdem probas Lectiones, quas e *Flor.* adnotavit Gronovius. Scilicet, ubi a Bavari-

co recte discedunt Augustanus & Regius A., ibi cum his plerumque consentit Florentinus: cum Vaticano autem adeo constanter & usquequaque (quatenus quidem ex excerptis utriusque Lectionibus judicare licet) conspirat, ut vix dubitari posse videatur, esse illum ex ipsis illis Vaticanis membranis transcriptum. Neque tamen, quod Vaticani codicis Lectiones Spalletti beneficio in manibus habui, eam ob causam parum mihi usui fuerunt Gronoviana hæc ex Florentino excerpta. Quamquam enim summa cura fideque ex Vaticanis membranis quidquid memorabile videbatur excerpserit præstantissimus noster Spallettus; fieri tamen nullo modo potest, quin vel oculatissimi diligentissimique viri aciem fugiat subinde Lectio, aut eidem negligenda videatur, quæ Editori quidem neutiquam indifferens erat futura. Atque ita usque venit, ut, quemadmodum nonnulla a Spalletto adnotata sunt, quæ prætervolavit Gronovius, sic multa rursus idem Gronovius excerpserit; in quibus quidem initio, quoniam nihil a Spalletto vidi commemoratum, dissentire Florentinum a Vaticano putaram; deinde vero, postquam de eisdem locis denuo recognoscendis compellassem eundem candidissimum Virum, cognovi amice inter se utrumque codicem conspirare. Quo fit, ut in reliquis etiam locis, ubi probabilem aliquam Lectionem ex Flor. a Gronovio excerptam vidi, quæ est a Spalletto prætermissa; tamen plerumque vix dubitandum putaverim, quin eadem in Vaticanis pariter membranis legatur. Tantum vero abest, ut doctissimo Viro, qui singulariter prorsus de Polybio nostro meritis est, incuriam aliquam isto nomine imputatam velim, ut lubens meritoque profitear, & fidem & diligentiam & sagacitatem humanissimi Viri sæpenumero me hoc ipso maxime esse admiratum, quod discrepantias etiam eas, quæ per se quidem exigui prorsus momenti videri poterant, at nos tamen ad verum inveniendum mirifice interdum erant adiuturæ; plerumque non neglexerit. Ceterum mihi quidem

dem ipsi, postquam Augustanum codicem satis accurate excussisse mihi visus eram, deinde, ubi cognatum illius Regium tractare cœpi, sæpe etiam tunc accidit, ut in hoc animadverterem Lectiones ex Aug. a me non enotatas, quas tamen in eodem Augustano, ubi denuo illum inspe- xi, perspicue inesse deprehendi. Lectiones autem Flo- rentinæ a Gronovio, & Vaticanæ a Spalletto excerptæ, eo magis etiam adcommodatæ erant ad mutuam sibi open- ferendam, quoniam Vaticanus codex cum Contextu Her- vagiano, Florentinus autem cum Casauboniano, qui mul- tum multis in locis ab illo differt, est collatus.

6. CODEX VRBINAS, s. VRBINO VATICANVS.

Vetustissimæ illæ *membranz Vrbinates*, quæ in Excer- ptis ex libro VI Polybii & sequentibus instituto suo haud parum utiles fuisse professus est H. Casaubonus,<sup>k)</sup> non so- lum ex illis, quos dixi, verum etiam *ex quinque prioribus Polybii libris* similia *Excerpta* complectuntur. Formæ quadratæ Codex est, foliis 286 membranaceis constans, inter Græcos Codices qui ex Urbinate Bibliotheca in Vati- canam transierunt No. CII. signatus; a *Michaële Tra. . sp. .* circa Seculum XII iudice Spalletto exaratus: unus, quod sciam, ex omnibus qui hodie supersunt, in quo illa ex li- bris quinque prioribus Excerpta simul cum sequentium li- brorum Excerptis continèantur. Cujus & vetusti & per se præstantis Codicis propius cognoscendi tanto magis fueram cupidus, non modo ut, quid ex illo suum in usum converterit Casaubonus, discerem, atque codicis lectiones ab Editoris conjecturis possem discernere; verum etiam quod sperarem, haud contemnendum spicilegium proba- rum Lectionum, vel talium quæ veri vestigia facilius di- gnoscenda seruarent, ex illo me reportaturum. Simul ex eodem Codice posse melius iudicare sperabam de ra- tione, qua Excerpta ista ex sequentibus etiam Polybii li-  
bris,

k) Vide supra, Sect. II. n. 4.



bris, quos nobis edax rerum tempus subtraxit, fuissent selecta. Atque illud desiderium istamque spem idem nobis explevit, cujus merita de Polybio nostro nobisque toties laudavi, numquam satis laudandus SPALLETVS; qui hujus quoque Codicis nostram in gratiam excutiendi & cum Hervagiana Editione conferendi negotium perhumaniter liberaliterque in se suscepit. Accesserunt quidem nobis paulo post in thesauris Gronovianis ad Polybium pertinentibus Lectiones ex eodem Codice Urbinate ad oram exempli editionis Basileensis ab ipso If. Casaubono adnotatae; <sup>1)</sup> sed ex quinque priorum librorum Excerptis, quae Codex ille continet, rariores Lectiones ibi enotatae erant. Multo crebriores a Spalletto sunt collectae: quae plerumque probas Vaticani Lectiones, ubi haec a vulgata lectione discedunt, egregie conformant. Sed non in probatis solum lectionibus, verum etiam in depravatis nonnumquam cum eodem Vaticano consentit, ubi Augustanus & Regius A. simul cum Bavarico verum tenuerunt. Ex quo intelligere licet, non modo hoc ipsum Urbinas exemplum, sed etiam illud quo usus erat is qui haec Excerpta primum compilavit, ex eodem Fonte cum Vaticano codice, adeoque etiam cum ceteris omnibus, qui hodie supersunt, esse propagatum. Vnde simul adparet, ne hac quidem ex parte speciem veri relinqui illorum sententiae, qui ad Brutum auctorem voluerunt compilationem istam referre.

Iam ut de selectu atque iudicio, quo confecta sunt sequentium pariter librorum Excerpta, iudicare lectores Polybii possint; haud alienum fore intelligo, si velut in tabula quadam, quænam sint fragmenta ex quinque prioribus libris ab hoc Epitomatore collecta, exponamus: quod per Spalletti nostri diligentiam nobis licet, qui accurate & initium & finem cujusque Excerpti, simulque quæ ad  
oram

1) Vide Sect. II. n. 5.



**THIS PAGE IS LOCKED TO FREE MEMBERS**

Purchase full membership to immediately unlock this page

# Know Your Bible

Forgotten Books'  
Full Membership  
provides unlimited  
access to more than  
28,000 volumes of  
Christian literature for  
\$8.99/month

**HOLY  
BIBLE**

**Continue**

\*Fair use policy applies

μάσασα κίνδυνον. Et ad initium hujus fragmenti in ora libri est titulus: Πόλεμος Ῥωμαίων καὶ Κελτῶν ἐν Καλουσίῳ πόλει. Tum IVtum Excerptum ex cap. 65, 66, 69. extr. Ὁ δὲ Κλεομένης προσδοκῶν τὴν εἴσοδον . . . εἰς Ἀλεξάνδρειαν. Ad oram autem ejus paginae, quae finem hujus fragmenti continet, leguntur haec: Οὕτως αἰεὶ ποτ' ἢ τύχη τὰ μέγιστα τῶν πραγμάτων παρὰ λόγον εἴωθε κρίνειν. quae sunt ex cap. 70, 2.

7. CODEX VRSINI.

FVLV. VRSINVS quum in Emendationibus in priores quinque Polybii libros (quemadmodum in libros sequentes) passim *veteris scripti libri* testetur auctoritatem, alia vero *ex ingenio* a se esse emendata profiteatur; \*) mirum est, quibus rationibus adducti Reiskius o) & Ernestius p) persuadere sibi potuerint, nullo alio Codice manuscripto Polybiano usum esse Vrsinum, praeter eum e quo Eclogas edidit de Legationibus. Quippe fieri quidem potest, ut in illis Eclogis fuerint etiam nonnullae, ex prioribus quinque libris Polybii excerptae, ex quibus varietatem Lectionis adferre potuisset Vrsinus: qua de re ex Bavarico illo Codice, qui eadem Excerpta continet, non potui judicare, quoniam is codex ea parte, ubi initium fuerat Eclogarum ex Polybio excerptarum, mutilus est. Sed ad scriptum librum Vrsinus in ejusmodi etiam locis provocat, quae inter Excerpta de Legationibus referri nullo modo potuerant. Equidem, postquam Vrsinianas illas Emendationes cum editione Hervagiana, ad quam illae adcommodatae sunt, rursusque cum Manuscriptorum nostrorum lectionibus contuli; satis intellexi, fuisse Vrsino ad manus probatum Codicem manuscriptum, quinque priores Polybii libros continentem, ex quo non solum ea, in quibus discrete mentionem fecit scripti libri, sed

n) Conf. supra, Sect. II. n. 3.

p) Praefat. in Polybium p. XXI.

o) Praefat. ad sua Polybiana p. 784.

sed & quam plurima alia, rectissime emendavit. Atque is *Codex Vrsini*, nisi fuit idem ipse Vaticanus, cujus *Lectioes Spalletti* nostri beneficio debemus, certe simillimum illi fuisse necesse est. Nam pauca quaedam loca, quæ dubium movere possent, (quorum præcipuus est lib. I. cap. 59, 1.) ejusmodi sunt, ut præne persuasum habeam, errorem ibi vel ipsius Vrsini vel operarum festinatione esse commissum. Nam quin eo loco, quem dixi, in mendosam lectionem Codices nostri omnes atque Suidas consentiant; probabile non est; illam Emendationem in *veterè libro* reperisse Vrsinum; sed *ex ingenio* eam utique tentasse videtur: atque ita ibi scriptum oportebat. Sæpissime in illo libro excidendo operas Plantinianas non paruisse Editori Romæ degenti, jam olim in Adnotationibus ad Appianum monui.

#### 8. SVIDAE *Codex Polybianus.*

Quandoquidem plurima ex Polybio loca suo Lexico inseruit Suidas; utique in omnibus istis locis scripturam, quam apud Grammaticum legimus, cum Codicum nostrorum Lectionibus conferendam putavi. Editionem autem adhibui non *Küsterianam* solum, verum etiam principem *Mediolanensem*, quæ probas passim Lectiones habet, a sequentibus Editoribus neglectas, nec ab ipso quidem Küstero omnes satis diligenter enotatas. Suidam autem non usum esse Codice Polybiano qui continuam Scriptoris hujus Historiam exhiberet, ac nil nisi Excerptorum volumina, Constantini Porphyrogeniti jussu confectorum, habuisse in manibus, Henr. Valesius innuit in Præfatione ad Excerpta de Virtutibus & Vitiis, & plane pro confesso sumpsit Küsterus quam plurimis in locis suarum ad Suidam Adnotationum. Quod equidem sicut in Appiani frag-

*Vol. I.* d mentis

## P R A E F A T I O

mentis ita se habere haud dubie intellexi, <sup>q)</sup> sic in fragmentis Polybianis neque negare aufim, neque præcise confirmare; quinquam pro illa sententia militare videtur id, quod ad vocab. *Σάμβυκες* apud Grammaticum istum legitur. Quidquid sit: in eis locis quinque priorum Polybii librorum, in quibus est Codicum Polybianorum dissensio, Lectiones Vaticani nostri & Vrbinatis plerumque confirmat Suidas: in eis autem, ubi pariter omnes sunt corrupti, rarissime quidem melius quiddam subministrat, sed plerumque ejusdem labis contagione laborat. Ex quo adparet, Codicem eum, e quo hausta sunt Fragmenta quæ ex his prioribus Polybii libris protulit Suidas, ad Vaticani pertinuisse familiam, & ex eodem fonte, antiquo quidem, sed jam passim corrupto, fluxisse, e quo ceteri nostri Codices inarant. Et (quod ad illam Valesii sententiam roborandam accedit) idem fere de Codice illo, ex quo *Excerpta de Virtutibus & Vitiis* ducta sunt, statuendum videtur; quatenus quidem ex Lectionibus illis colligi potest, quas ad loca nonnulla libri secundi, quarti & quinti ex *Codice Peiresciano* citavit Valesius. <sup>r)</sup>

### 9. PEROTTI *Codex Polybianus.*

PEROTTI *versio Latina quinque priorum Polybii librorum*, quam medio seculo XVto confectam supra inuimus, <sup>s)</sup> non ita est comparata, ut Editori Polybii eum præstare usum possit, quem in Appiani Editione versionem Petri Candidi nobis præstitisse olim prædicavimus. <sup>t)</sup> Neque enim verbum e verbo expressit Perottus; sed bene secum agi judicavit, si sententiarum summam quocumque modo, dummodo bene latine, repræsentaret: ubi vero diffi-

q) Vide Adnotationes ad Testimonia de Appiano, Tomo III. nostri Appiani p. 898 sq.

r). In fine Excerptorum de Virt.

& Vitiis p. 123. (T. III. edit. Ernest. p. 325.)

s) Sect. I. n. 1.

t) Præfat. ad Appianum p. V.

difficultatis. nonnihil græca scriptura habebat, plerumque otum locum, non satis sibi perceptum, callide transsiluit. Iteque tamen idcirco prorsus negligendum hoc qualecumque subsidium putavi: sed, quibuscumque in locis dubitationis aliquid Græcus contextus habebat, Versionem hanc consului. Vnde cognovi, exemplum, quod ante oculos abuerat Perottus, multum abfuisse ab illarum membranarum præstantia, quarum Lektionen Spalletto debemus: itaque si suspicari fas est, superesse ad hunc diem in Vaticana Bibliotheca exemplum illud quo usus olim hic Interres est; fuerit fortasse Codex ille, quem in indicè Codicum Vaticanorum Polybii jam olim mecum communicatorem Spallettus his verbis commemoravit: *Codex Vat. Græcus Bombycinus, in folio parvo, signatus numero 1005. continet eosdem quinque libros Historiarum Polybii, scriptus Seculo XIII.* Quo de Codice quoniam nihil præterea ab eo compertum, planius judicabunt ii, quibus eundem scrutare licebit vacabitque.

IO. CODICES VENETI;

*in usum a nobis non vocati.*

In isto, quem adhuc exposuimus, Codicum adparatu, quibus ad emendandum Polybium nobis licuit uti, non minus esse visum est, ut de illorum collatione, quos in Venetis Bibliothecis exstare noveramus, admodum essemus solliciti: quippe e quibus ne notabilis quidem ulla ad eas copias, quas haberemus, accessio posse derivari videbatur. Ex tribus *Codicibus Venetis*, quorum ad me notitia peruenit, eum qui in *Bibliotheca Dominicanorum* est, cum primo nostro Regio arctissimo cognationis vinculo esse conjunctum, supra vidimus.<sup>u)</sup> In *Marciana Bibliotheca* est unus membranaceus, No. *CCCLXIX*. Bessarionis Cardinalis sumtibus scriptus a Georgio Zangaropulo Cretense

d 2

A. C.

u) Hac Sect. IV. n. 3.

A. C. 1470. qui in Catalogo Græcorum D. Marci Bibliotheca Manuscriptorum p. 175 sq. recensetur. Qui codex, sicut nec a vetustate magnopere est commendabilis, sic & alia ratione a doctis viris, qui Catalogum illum ediderunt, inferior judicatus fuisse videtur altero Codice ejusdem Bibliothecæ, chartaceo, *No. CCCLXXI.* signato. Certe hunc alterum, (quamquam nec hujus ætas ultra XVtum seculum adscendit;) non priorem illum Bessarionis Codicem, dignum judicarunt, e quo specimina quædam discrepantiarum Lectionis exprimerent. (p. 176 sq.) Quibus ex speciminibus sicut per se minime spernendum esse hunc codicem intellexi, sic cum Florentinis Codicibus in Lectionibus etiam singularibus (ubi a Vaticano exemplari aberrarunt isti) adeo pertinaciter conspirantem cognovi, ut pæne persuasum habeam, esse ex illorum altero, & quidem ex Laurentiano - Mediceo, Venetum hunc descriptum. Sed & priorem illum Marcianum, qui Bessarionis olim fuerat, si cui forsitan aliquando vacaverit excutere; videndum erit, an ex altero Florentino, qui fons est Medicei, descriptus sit. Certe ex illa Abbatia Benedictinorum Florentina alios etiam codices in usum suum describendos mutuatum esse Bessarionem Cardinalem, discimus ex Montfaucon Biblioth. Msstorum T. I. p. 415. E.

## II. CODEX REGIVS B. recentissimus.

Accedo tandem ad illum Codicem, quem *Reg. B.* insignivimus, quo fere unico ad emendandos quinque priores Polybii libros usus est H. Casaubonus. w) Is in Catalogo Codicum Græcorum Msstorum *Bibliothecæ Regiæ* signatus est *Codex MDCXLIX.* breviterque sic describitur: *chartaceus, Fonteblandensis. Polybii Historiarum libri V. manus. Angeli Vergecii.* Nempe & nota erat solertissi-

w) Vide supra, Sect. II. n. 4.

lertissimi illius Calligraphi manus, ad cuius exemplum exculpti sunt elegantissimi illi characteres græci, quibus Robertus Stephanus in regio Typographeo olim usus est, & ipse artifex nomen suum subscripsit his verbis: Ἐγγράφης (ἐγγράφη voluerat) ἐν Λευτικίᾳ τῶν Παρησίων, ἐπὶ βασιλείᾳ Ἐρρίκου β' οὐ. χειρὶ Ἀγγέλου Βεργικίου τοῦ Κρητός, α'. Ϙ'. μζ'. id est: *Scriptus liber Lutetiae Parisiorum, regnante Henrico II. manu Angelii Vergicii Cretenfis, anno 1547.* Iam quod ex ipsa hac notatione & temporis & loci, quibus scriptus hic Codex est, suspicari statim licebat, esse illum ad exemplum Editionis Obsopæi descriptum, quæ decimo septimo anno ante in lucem prodierat; id curatior Codicis excussio atque perlustratio manifestissimum nobis fecit. Etenim non solum Lectiones, sive bonas, sive corruptas, quæ ex Bavarico Codice in Obsopæi editionem derivatæ sunt nec in ullo alio scripto libro reperiuntur, plerumque repræsentat hic Regius: sed & infinitis in locis, ubi in impresso exemplo, sive editoris errore, sive operarum culpa, perperam discessum est a Bavarico exemplari, fideliter scripturam editionis Hagenoënsis expressit Calligraphus: veluti I. 1, 5. ἐπικρατιθέντα per ι pro η; & ibid. ἔπεσε, quod (ex ignorato scripturæ nexu, quo literæ ε & σ junctæ erant. in Cod. Bav.) Obsopæus dederat pro ἔπεσε. Tum I. 1, 6. μαθύματα pro μαθήματα. Cap. 2, 3. quum ante Λακεδαιμόνιοι, nescio quo casu, breve aliquod spatium in edit. Obsop. vacuum esset relictum, idem observavit scriba codicis nostri. Sic cap. 2, 6. cum eadem editione dat ἐπέβαλον τὸ pro ἐπεβάλλοντο. Cap. 14, 1. παρωξίνθη' pro παρωξύνθη. 14, 3. post πάντα cum Obs. male omisit verbum δοκοῦσιν. I. 78. 5. quum post διαπερῶντες similitudine terminationis deceptus Obsopæus vel typographus quatuor verba omisissent δ' ἀκμήν καὶ διαπιστῶντος, eadem codex noster Reg. B. ignorat. Cum eodem Obsopæo III. 10, 2. ubi in Bav. varietas le-



tionis (Γε'. ἦν) in margine fuerat notata, γὰρ ἦν scripsit: & quæ sunt ejusdem generis alia, qualibet pagina magno numero occurrentia. At rursus tamen idem Codex bene multis in locis, & eis præsertim quæ insigniori quodam modo erant corrupta, ab Obsopæo discedit, ac vel easdem ibi Lectiones exhibet quas dant alii vetustiores Codices, vel alias quæ specie quadam veri commendabiles possunt videri. Quæ discessionibus ab exemplari quum ex scribæ ingenio, quem non nimis sane doctum fuisse adparet, non potuerint proficisci; ex diligenti hujus Codicis cum ceterorum Codicum nostrorum Lectionibus collatione intellexi, necesse esse, ut exemplum illud editionis Obsopæi, e quo Vergecius Polybium descripsit, prius cum vetustiore aliquo Codice fuerit collatum, ex eoque ad ea loca, quæ gravius videbantur laborare, meliores Lectiones adnotatas in margine habuerit, neglectis levioribus impressi exempli mendis; facile ex ingenio usuque inter legendum corrigendis. Et vetustiore quidem illum, quem dico, codicem intellexi vel unum ex *Florentinis* nostris esse debere, vel cum his proxime conjunctum *Venetum* Marcianum, de quo paulo ante dixi.<sup>x)</sup> Sed præter Lectiones ex Scripto libro excerptas, in eodem exemplo editionis Obsopæi necesse est multas adnotatas fuisse Emendationes ex conjectura docti viri nescio cujus ductas; quarum alias, pariter atque veteris Codicis lectiones, in contextum recepit Vergecius; alias in ora libri, ad-

jecta

x) *Venetis* Lutetiam a Francisco I. rege vocatum fuisse Vergecium, discimus ex *Memoire Historique sur la Bibliothéque du Roi*, Tomo I. Catalogi Libror. Impress. p. XI. Suspicari etiam licet, *Lazarum Baysium*, Francisci I. ad Venetos legatum, quem magno studio Venetiis in excutiendos Græcorum Historicorum

codices per id tempus incubuisse constat, (conf. supra, Sect. I. n. 3. & Præfat. nostram ad Appianum p. VII. not. b.) exemplum editionis Obsopæi suum in usum fortasse cum Veneto Codice collatum Lutetiam reportasse, ex eoque exemplo Codicem hunc Regium deinde a Vergecio esse descriptum.



**THIS PAGE IS LOCKED TO FREE MEMBERS**

Purchase full membership to immediately unlock this page

# Get Smart

Over 2,000 years of  
human knowledge in  
797,885 volumes

Instant access  
\$8.99/month

**Continue**

\*Fair usage policy applies

liarissimum usum particulæ *διότι* pro *ὅτι* positæ; ita quidem ut constanter (paucissimis locis exceptis) in illo codice *ὅτι* legatur; ubi ceteri omnes Codices in *διότι* consentiunt. Iam talis quum sit ratio hujus Codicis, qualem exposui; facile quidem intelligitur, parum quidem illum per se adjumenti ad expoliendum emendandumque Polybium addere nobis potuisse ad reliqua præsidia, quibus adiuvere nobis contigit. At tanto magis necessarium fuit, ut eundem Codicem, cujus auctoritatem in multis rebus secutus est Casaubonus, quam fieri poterat accuratissime perlustraremus; quod hac una ratione perveniri poterat ad id, quod jam pridem a viris doctis in Casauboniano Polybio desideratum vidi, scilicet, ut præcise constaret, quid ex antiquis Codicibus sumserit doctus ille Editor, quid ex ingenio ad poliendum hunc Scriptorem adtulerit.

## 13. CODEX REGIVS C.

Cum Codice Regio B. ita convenit is, quem *Regium C.* insignivi, ut ex eodem exemplo cum altero illo descriptum hunc esse satis adpareat. Nam licet in nonnullis subinde ab illo discedat; tamen partim leviores sunt ac fortuitæ aberrationes, partim varietates inde natæ, quod in eis locis, ubi in exemplari erat emendatio aut discrepans lectio ad marginem scripta, alter codex hanc expressit, alter ab impresso exemplari non recessit; aut quod ex duabus conjecturis alius aliam in contextum receptam exhibet. Est autem codex hic *Reg. C.* membranaceus quidem, sed formæ minimæ, quam duodenam vocare consuevimus; scriptus (ut mihi quidem plane videtur) ejusdem *Vergecii* elegantissima manu: estque idem ipse, qui olim *Is. Casauboni* fuerat, quem a Verderio Lugdunensi

dunenſi dono ſibi datum prædicavit.<sup>1)</sup> In prima membrana hæc ſcripta leguntur: *Iſaacus Caſaubonus, dono Verderii Lugdunenſis. Tum ruruſ: Iſaacus Caſaubonus Puteanis Fratrib. D. D. 1609.* Hinc in Catalogo Biblioth. Regiæ, ubi *No. MDCCXCVI.* ſignatus eſt, olim *Puteanus* fuiſſe memoratur. Quod autem ibidem chartaceus eſſe perhibetur, ex errore factum eſt. Quoniam vero minuta eſt forma codicis, nec tamen minuta admodum ſcriptura; nonniſi *duos priores Polybii libros* volumen hoc, quod ſolum tractavit poſſeditque Caſaubonus, complectitur. Exſtat autem alterum etiam volumen, *duos ſequentes libros, tertium & quartum*, complectens; quod, neſcio quo caſu, ab illo ſeparatum, in *Bibliothecam Laudianam* migravit, quæ *Oxoniz* cum Bodlejana eſt conjuncta. Nam qui ibi *No. 498.* inſignitur Codex, quo continentur *Polybii Historiarum liber tertius & quartus græce eleganter ſcripti,*<sup>2)</sup> eum pariter *duodenæ formæ* eſſe Gronovius monuit, qui Lectiones ex illo Codice a ſe excerptas eidem exemplo ſuæ editionis adſcripſit, cujus marginibus Lectiones etiam Auguſtanos ex Bæclero, & ad duos priores libros Lectiones ipſius noſtri codicis Reg. C. (quem litera G. id eſt *Gallicum* designavit) inſcripſerat. Quarum ex Lectionum genio & ratione quum penitus perſpexerim, eſſe illum *Oxonianum Codicem* continuationem huius *Regii C.*; eundem pariter, ne notas Codicum præter neceſſitatem multiplicarem, eadem nota *Reg. C.* inſigniendum putavi.



Sed jam quum compluſcula ſuperſint, quæ vel de  
eis Codicibus, quibus in recensendis emendandisque ce-  
teris

1) Vide ſupra, Sect. II. n. 4. & conf. Caſauboni Epist. 89 & 93.

2) In Catalogo Librorum Mssto-

rum Angliæ Tom. I. p. 50, & in Montſaucon Biblioth. Msstorum

T. I. p. 649.

teris partibus Historiarum Polybii sumus usi, vel de aliis nonnullis rebus, ad hujus Editionis consilium rationemque pertinentibus, exponenda habemus: ne in vestibulo nobilissimi Antiquitatis monumenti diutius moremur studiosum Lectorem, finem hujus Praefationis hoc loco faciemus; & reliqua, de quibus praemonendus æquus Lector videtur, *secundo Tomo*, qui intra perbreve temporis spatium hunc consequetur, *Librumque quartum & quintum, cum sexti atque septimi reliquis* comprehendet, praemitemus.

Scripsi Argentorati, mense Martio, anno Christi  
M. DCC. LXXXIX.



2 1256 10



# Π Ο Λ Υ Β Ι Ο Υ

ΜΕΓΑΛΟΠΟΛΙΤΟΥ

## Ι Σ Τ Ο Ρ Ι Ω Ν Π Ρ Ω Τ Η.

Εἰ μὲν τοῖς πρὸ ἡμῶν ἀναγράφουσι τὰς πράξεις, παραλελειφθαί συνέβαινε τὸν ὑπὲρ αὐτῆς τῆς ἱστορίας ἔπαινον· ἴσως ἂν ἀναγκαῖον ἦν τὸ προτρέπεσθαι πάντας πρὸς τὴν αἴρεσιν καὶ παραδοχὴν τῶν τοιούτων ὑπομνημάτων· διὰ τὸ μηδεμίαν ἐτοιμοτέραν εἶναι τοῖς ἀνθρώποις διόρθωσιν, τῆς τῶν προγεγενημένων πράξεων ἐπιστήμης. Ἐπεὶ δ' οὐ τινὲς, οὐδ' ἐπὶ ποσὸν, ἀλλὰ πάντες, ὡς ἔπος εἶπεῖν, ἀρχῇ καὶ τέλει κέχρηνται τούτῳ· φάσκοντες, ἀληθινωτάτην μὲν εἶναι παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθῃσιν· ἐναργεστάτην δὲ καὶ μόνην διδάσκαλον τοῦ δύνα-

Prooemium Auctoris.

Fructus Historiæ.

Cap. I. I. ἀναγράψασι, pro ἀναγράφουσι, ex ingenio edidit Casanbo-  
pas. *Μοx ἂν post ἴσως ignorant veteres libri.*

# P O L Y B I I

MEGALOPOLITANI

## HISTORIARVM LIBER I.

Si esset ab iis, qui ante nos res gestas memoriæ mandarunt, *Historiæ* ipsius prætermis-  
sa *laudatio*; necesse forsitan foret, omnes ad hoc genus commentariorum potissimum probandum studio-  
seque excipiendum cohortari; quum nulla sit mortalibus ad proficiendum via expeditior, quam rerum an-

te actarum scientia. Verum quoniam non aliqui, neque aliquatenus, sed prope dixerim omnes, hoc & exordio scribendi & exitu usi sunt, ut dicerent, *verissimam institutionem præparationemque ad gerendam rempublicam, esse doctrinam eam, quæ ex Historia paretur; magistramque clarissimam*

Vol. I.

A

atque



Historiæ  
Romanæ  
præstan-  
tia.

δύνασθαι τὰς τῆς τύχης μεταβολὰς γενναίως ὑποφέρειν, τὴν τῶν ἀλλοτρίων περιπετειῶν ὑπόμνησιν ὀφείλον, ὡς οὐδενὶ μὲν ἂν δόξα καθήκειν, περὶ τῶν 3 καλῶς καὶ πολλοῖς εἰρημένων ταυτολογεῖν, ἥκιστα δ' ἡμῖν. Αὐτὸ γὰρ τὸ παράδοξον τῶν πράξεων, 4 ὑπὲρ ὧν προσημέθια γράφειν, ἰκανὸν ἐστὶ προκαλέσασθαι καὶ παρορμηῆσαι πάντα καὶ νέον καὶ πρεσβύτερον, πρὸς τὴν ἔντευξιν τῆς πραγματείας. Τίς γὰρ οὕτως ὑπάρχει φαῦλος ἢ βλάθυμος ἀνθρώπων, ὃς οὐκ ἂν βούλοιο γινῶσθαι, πῶς, καὶ τίνι γένει πολιτείας ἐπικρατηθέντα σχεδὸν ἅπαντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην οὐχ ὅλοις πεντήκοντα καὶ τρισὶν ἔτεσιν, ὑπὸ μίαν ἀρχὴν ἔπεσε τὴν Ῥωμαίων; ὃ πρότερον οὐχ εὐρίσκεται γεγονός. Τίς δὲ πάλιν οὕτως 6 ἐκπαθῆς πρὸς τι τῶν ἄλλων θεαμάτων ἢ μαθημάτων, ὃς προὔργιαίτερον ἂν τι ποιήσαιτο τῆσδε τῆς ἐμπειρίας;

Ὡς

*atque unicam, quæ fortunæ mutationes generose doceat ferre, alienorum esse casuum recordationem: palam est, nemini convenire, ut, quæ recte ab aliis, & iis quidem multis, dicta sunt, eadem repetat; omnium vero minime nobis. Ipsa enim rerum, de quibus dicturi sumus, inopinata novitas vel per se facile quemvis alluciet incitabitque, sive juvenem, sive senioem, ad Historiæ hujusce lectionem. Nam quis erit adeo levis ho-*

*mo aut ignavus, quin scire cupiat, qua ratione, & quo rerum administrandarum genere, universus prope Orbis terrarum annis fere LIII sub unius imperium, populi scilicet Romani, fuerit redactus? quod quidem nunquam antea factum invenitur. Rursus vero, quis alium aliud vel spectaculi vel disciplinæ genus adeo perditæ adamaverit, ut harum rerum cognitione quidquam ei sit antiquius?*



**THIS PAGE IS LOCKED TO FREE MEMBERS**

Purchase full membership to immediately unlock this page

# Know Your Bible

Forgotten Books'  
Full Membership  
provides unlimited  
access to more than  
28,000 volumes of  
Christian literature for  
\$8.99/month

**HOLY  
BIBLE**

**Continue**

\*Fair use policy applies

Imperii  
Rom.  
cum aliis  
compara-  
ratio.

Historia  
Pragmatis-  
tica.

χώρας. μετὰ δὲ ταῦτα προσέλαβον τὴν τῆς Ἀσίας ἀρχὴν, καταλύσαντες τὴν τῶν Περσῶν δυναστείαν. ἀλλ' ὁμῶς οὗτοι, πλείστων δόξαντες καὶ τόπων καὶ πραγμάτων γενέσθαι κύριοι, τὸ πολὺ μέρος ἀκμὴν ἀπέλιπον τῆς οἰκουμένης ἀλλότριον. Σικελίας μὲν γὰρ καὶ Σαρδουῶς, καὶ Λιβύης, οὐδ' ἐπεβάλλοντο καθάπαξ ἀμφισβητεῖν· τῆς δὲ Εὐρώπης τὰ μαχιμώτατα γένη τῶν προσεσπερίων ἔθνων, ἰσχυρῶς εἶπεῖν, οὐδ' ἐγίνωσκον. Ῥωμαῖοί γε μὴν, οὐ τινὰ μέρη, σχεδὸν δὲ πᾶσαν πεπειθημένοι τὴν οἰκουμένην ὑπήκουον αὐτοῖς, ζηλωτὸν μὲν τοῖς νῦν οὔσιν, ἀνυπέρβλητον δὲ τοῖς ἐπιγιγνομένοις ὑπεροχὴν κατεσκεύασαν δυναστείας. Τούτων μὲν τοι τὰ πολλὰ διὰ τῆσδε τῆς γραφῆς ἐξέσται σαφέστερον κατανοεῖν· ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τοῦ, πόσα καὶ πηλίκαι συμβάλλεσθαι πέ-

Φυκε

7 sq. A περὶ τῆς ὑπήκουον αὐτοῖς, κρημε γραφῆς ἐξέσται, planibus scriptis lacunis hiant scripti omnes libri, quas ex conject. suppleverunt Vrsinus & Casaub. 8. Τούτων. Περὶ τούτων malim.

cere deinde iidem Asiæ imperium, everso Persarum dominatu. Veruntamen etiam hi, quorum imperium & quam latissime porrigi & potentissimum esse visum est, maximam adhuc orbis partem nihil quidquam ad se pertinere sunt passi. Nam de Sicilia, de Sardinia, de Africa, ne contendere quidem in animum umquam Macedones induxerunt; pugnacillimas vero Europæ nationes ad occasum fitas, vix ac ne vix quidem (ne quid amplius dicam) notas habuerunt. At Romani,

non partibus solummodo aliquot, sed universo fere terrarum orbe in jus ditionemque suam coacto, imperium suum in tantum evexerunt fastigium; ut prædicare quidem illius felicitatem præsens ætas merito queat, superare vero illud nulla umquam secula sint valitura. Sed hæc quidem maximam partem ex ipsa hac scriptione nostra planius cognoscere licebit: simulque intelligetur, quot quantasque utilitates studiosis adferre illud genus historiæ conscribendæ possit, quod in rerum gestarum

Φυκε τοῖς Φιλομαθοῦσιν ὁ τῆς πραγματικῆς ἱστορίας τρόπος.

Ἄρξει δὲ τῆς πραγματείας ἡμῖν, τῶν μὲν χρόνων Ὀλυμπιάς ἑκατοστή τε καὶ τετραρακκοστή τῶν δὲ πράξεων, παρὰ μὲν τοῖς Ἕλλησιν ὁ προσαγορευθεὶς Συμμαχικὸς πόλεμος, ὃν πρῶτον ἐξήνευκε μετ' Ἀχαιῶν πρὸς Αἰτωλοῦς Φίλιππος, Δημητρίου μὲν υἱὸς, πατὴρ δὲ Περσέως· παρὰ δὲ τοῖς τὴν Ἀσίαν κατοικοῦσιν, ὁ περὶ Κοίλης Συρίας, ὃν Ἀντίοχος καὶ Πτολεμαῖος ὁ Φιλοπάτωρ ἐπολέμησαν πρὸς αἰσθητῶν· ἐν δὲ τοῖς κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ Λιβύην τόποις, ὁ συστάς Ῥωμαίοις καὶ Καρχηδονίοις, ὃν οἱ πλεῖστοι προσαγορεύουσιν Ἀννιβιακόν. ταῦτα δ' ἐστὶ συνεχῆ τοῖς τελευταίοις τῆς Ἀράτου τοῦ Σικυωνίου συντάξεως. Ἐν μὲν οὖν τοῖς πρὸ τούτων χρόνοις, ὡσανεὶ σποράδας εἶναι συνέβαινε τὰς τῆς οἰκουμένης πράξεις· διὰ τὸ καὶ κατὰ τὰς ἐπιβολὰς, ἔτι δὲ

III.  
Princeps  
institutum Po-  
lybii.

Α 3

συντε-

III. 2. Vulgo omnes mis. Ἔ edd. τελευτ. τῆς παρὰ τοῦ Σικυων. συντ. 3. A verbo πράξεις usque πεπραγμένων, τῆς hinc hinc de-  
fertur sicut membrana, hoc sicut modo: πράξεις — — τὸ καὶ τὰς ἐπι-

gestarum ratione atque cau-  
sis accurate explicandis ver-  
satur, quam *Pragmaticam*  
*Historiam* vocamus.

3. Initium vero scriptio-  
nis nobis erit, si tempora  
spectes, *Olympias centesima*  
*quadragesima*: si res gestas,  
*bellum* apud Græcos quidem  
*Sociale*, quod primum cum  
Achæis adversus Aetolos  
Philippus suscepit, Demetrii  
filius, Persei pater; apud  
Asianos vero, *bellum Cœle-*

*syriacum* inter Antiochum  
& Ptolemæum Philopato-  
rem; in Italia autem & Afri-  
ca, quod Romani & Cartha-  
ginenses inter sese gesse-  
runt, quod *bellum Hanniba-*  
*licum* vulgo vocant. Sunt  
autem hæc iis cohærentia,  
quæ *Aratus Sicyonius* opere  
extremo narrat. Jam quæ  
ante ista tempora per orbem  
terrarum gesta sunt, ea qua-  
si sparsa divulgæque erant;  
quæ, ut locorum interval-  
lis,

συντελείας αὐτῶν, ὡς καὶ κατὰ τόπους, διαφέρειν.

Historia Polybiana, velut unum corpus. ἕκαστα τῶν πεπραγμένων. Ἄπο δὲ τούτων τῶν καιρῶν οἷον εἰ σωματοειδῆ συμβαίνει γίνεσθαι τὴν ἱστορίαν, συμπλέκεσθαι τε τὰς Ἰταλικὰς καὶ Λιβυκὰς πράξεις ταῖς τε κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ ταῖς Ἑλληνικαῖς, καὶ πρὸς ἓν γίνεσθαι τέλος τὴν ἀναφορὰν ἀπάντων. Διὸ καὶ τὴν ἀρχὴν τῆς αὐτῶν πραγματείας, ἀπὸ τούτων πεποιήμεθα τῶν καιρῶν, τῷ γὰρ προεξημένῳ πολέμῳ κρατήσαντες Ῥωμαῖοι Καρχηδονίων, καὶ νομίσαντες τὸ κυριώτατον καὶ μέγιστον μέρος αὐταῖς ἠνῦσθαι πρὸς τὴν τῶν ὅλων ἐπιβολὴν, οὕτω καὶ τότε πρῶτον ἐθάρσησαν ἐπὶ τὰ λοιπὰ τὰς χεῖρας ἐκτείνεν, καὶ περαιουῶσαι μετὰ δυνάμεων εἰς τε τὴν Ἑλλάδα καὶ τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν τόπους. Εἰ μὲν οὖν ἡμῖν ἦν συνήθη καὶ γνώριμα τὰ πολιτεύματα, τὰ περὶ τῆς τῶν ὅλων ἀρχῆς ἀμφισβητήσαντα, ἴσως οὐδὲν ἂν ἡμᾶς ἔδει περὶ τῶν

ἐπιβολῶν — — δὲ συντελείας αὐτῶν — — — καὶ κατὰ τὸ — — — εἰν ἕκαστα — — — εἰων. 6. μετὰ δυνάμεων. Alii μετὰ δυνάμεως.

lis, sic & consiliorum rationibus, & rerum susceptarum exitu, singula eorum essent disjuncta. Ab istis vero temporibus, ut in unum quasi corpus coiret Historia, evenit; utque res Italicæ ac Libycæ Asiaticis & Græcis miscerentur, & omnes ad unum finem referrentur. Idcirco & nos opus hoc, quo illa descripsimus, inde sumus exorsi. Nam quum eo, quod diximus, bello Romani Carthaginenses supe-

rassent; rati, potissimam ab se maximamque partem, ad capeffendum universi orbis imperium, esse confectam; ita demum, ac tum primum, ad reliqua manus ausi sunt porrigere, & cum in Græciam tum in Asiaticas regiones exercitus suos transmittere. Equidem si vulgo notæ nostris hominibus essent istæ Respublicæ, quæ de summa rerum inter se contenderunt; nihil fortasse necesse nobis esset superiora attin-

τῶν πρὸ τοῦ γράφειν· ἀπὸ ποίας προθέσεως ἢ δυνάμεως ὀρηθθέντες, ἐνεχέρησαν τοῖς τοιούτοις καὶ ἱτηλικούτοις ἔργοις. Ἐπεὶ δ' οὔτε τοῦ Ῥωμαίων, οὔτε τοῦ Καρχηδονίων πολιτεύματος πρόχειρός ἐστι τοῖς πολλοῖς τῶν Ἑλλήνων ἢ προγεγενημένη δύναμις, οὐδ' αἰ πράξεις αὐτῶν· ἀναγκαῖον ὑπελάβομεν εἶναι, Libri duo priores præmittuntur velut Præparatio. συντάξασθαι ταύτην καὶ τὴν ἐξῆς βίβλον πρὸ τῆς ἱστορίας· ἵνα μηδεὶς, ἐπιστάς ἐπ' αὐτὴν τὴν τῶν πραγμάτων ἐξήγησιν, τότε διαπορῆ, καὶ ζητῆ, ποίοις διαβουλίαις ἢ ποίαις δυνάμεσι καὶ χορηγίαις χρησάμενοι. Ῥωμαῖοι, πρὸς ταύτας ὤρηθησαν τὰς ἐπιβολὰς, δι' ὧν καὶ τῆς γῆς καὶ τῆς θαλάττης ποτῆς καὶ θ' ἡμᾶς ἐγένοντο πάσης ἐγκρατεῖς· ἀλλ' ἐκ τούτων τῶν βιβλῶν καὶ τῆς ἐν ταύταις προκατασκευῆς δῆλον ἢ τοῖς ἐντυγχάνουσιν, ὅτι καὶ λίαν εὐλόγοις ἀφορμαῖς χρησάμενοι, πρὸς τε τὴν ἐπίνοιαν ὤρηθησαν, καὶ πρὸς τὴν συντέλειαν ἐξίκοντο τῆς τῶν ὅλων ἀρχῆς καὶ δυναστείας.

Α 4

Τὸ

8. τοῦ Ῥωμαίων. *Alii* τοῦ τῶν Ῥωμ. 9 τοῦ τῶν Καρχ.

attingere: quo nempe proposito, aut quibus freti viribus, tale tantumque opus inceptarint. Nunc quoniam & Romanorum & Carthaginiensium vires, quas prius habuerunt, & res, quas ante gesserunt, Græcorum plerisque non satis cognitæ sunt, faciendum putavimus, ut hunc & sequentem librum reliquæ Historiæ præmuni-remus: ne quis forte, rerum ipsarum expositioni unice intentus, hæreat deinde, & quærere incipiat, quibus tan-

